



2 400 40



MADE



VIGILATE ET ORATE.

SOLITVDO,
SIVE
VITASOLITARIA,

LAVDATA:

Cornelio Musio Delpho Encomiafte.

Pfal. 54.

*Ecquis dabit columbinas
Leues alas, alas binas,
Vt hinc volem properè,
Hactenus vt impeditus,
In Seceffu expeditus
Valeam quiefcere?*

ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini.

M. D. LXVI.

CVM PRIVILEGIO.

(2)



VIGILATE ET
ORATE.

SOLITUDO,
SIVE
VITAS SOLITARIA,

LAUDATA:

Cornelio Musio Delpho Encomiaste.

Pfal. 54.

*Ecquis dabit columbinas
Leues alas, alas binas,
Vt hinc volem properè,
Hactenus vr impeditus,
In Secessu expeditus
Valeam quiescere?*

ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini.

M. D. LXVI.

CVM PRIVILEGIO.

VVILHELMVS DAMASI
LINDANVS DORDRACENVS,
LECTORI VERAE PIE-
TATIS STUDIOSO.

Musas qui coluit pientiores,
Hanc vitæ tibi practicen dicauit:
Quam si exercueris fide expiatus,
Certò hinc ad Superùm domos
migrabis.

IN CORNELII MVSII
DELPHI LIBELLVM DE SQ-
litudinis Secessusúe commoditatibus,
Hadrianus Iunius Medicus. *author damnatus*

MVNERA *dum resonas otì diuina beati*
Aureus ore sacro,
Dulciãq; in numeros Secessus commoda confers
Menti adamanda pia:
Excessere suis adytis Heliconis alumnae,
Carminibusque sui
Illeeta vatis, cantus odere profanos;
Teque mouente chelyn
Sanctisonam, faciles aure indulsero secunda:
Ductor & ipse gregis
Ter triplicis Phœbus viridi tibi tempora lauro
Sedulus implicuit,
Donatumque suis fidibus, virtuteque mactum
Iussit abire sua.
Cui calum fauet, ac proprio quem nomine diuæ
Pegasides decorant;
Victurum & scriptis genium concessit Apollo;
Macte animo egregio:

A. 2. Et.

*Et dare, qui Musis placuit, Phœboque laborem
Nulla sit inuidia,
Musum ut ediscant montes cum Vallibus, alta
Templaque te ingeminent.*

EIVSDEM IVNII AD
EVNDEM LIBELLVM.

*IAM Solitudo profer ora in publicum
Tandem, beata fomes otij, Deis
Accepta, turbæ exosa, grata vatibus,
Industrie altrix, ingeni excitabulum,
Tranquillitatis pabulum verè unicum,
Quietis almæ dulce seminarium,
Fastus, simultatisque lene pharmacum.
Exire herilem ne pudorem differas,
Refringe claustra, si teneris arctius,
Dic lucis vsuram negatam, sat diu
Iam ferre solis posse te clarum iubar.
Iam Solitudo profer ora in publicum.*

COR-

CORNELII MVSII DELPHI
MONASTICAE VITAE LAV-
DATAE RATIO.

*QVANDO animo maestus nuper praesentia
flerem
Tempora, & innumeros caeco contendere cursu
Ad scelera adspicerem, seseque inuoluere sectis
Quotidie variis, adeoque in tartara nigra
Præcipites ferri: prauos diuertere gressus
Vtile censebam penitus, Christoque fauente
Errantes reuocare animas, tutamque salutis
Commonstrare viam (si quis fortasse libenter
Audiet hos monitus, & seria dicta sequetur)
Et mecum meditans multum, quo carmine grato
Hoc opus aggrederer, tandem (ut iucundior essem,
Vtilis utque magis) genus illud versiculorum
Antiquum arripui, modulis quod pectora blandis
Saxea mulceret citius: vel dulcius aures
In dextras flueret, fixumque in mente sederet,
Et multos olim fructus & commoda ferret.
Hic est laudati scopus & ratio Monachismi,
Causaque Secessus numeris cur talibus exit.*

A 3 IDEM

IDEM MUSIVS LECTORI.

LECTOR *antequam accedas,*
Aut priusquam hinc discedas,
Hoc lubens monuero:

Vt ex æquo arbitreris,
Et piè interpreteris
Quod hinc cunque adfero.

Odiosum est damnare,
Et vix lecta confutare

Publico conuitio:

Candidum, examinare,
Et mendosa emendare
Vigilanti studio.

Qui non hæsitat scribendo,
Nec dormitat disserendo;

Qui verbo non labitur,
Is ex milibus selectus,
Inter & raros perfectus,
Dijs æquandus creditur.

Interim mea committo,

Et Ecclesie submitto

Omnia iudicio,
Eius vt iudicature,
Et æquissima censura,
Stent, cadant arbitrio.

Porro

Porro autem hinc laudatum,
Et Secessum prædicatum
Eulogismis seriis,

Si te piget imitari,
Saltem noli aduersari
Improbis dictarijs.

Huius ergo te querebam,
Hoc erat quod te volebam,
Ne sis importunior.

Nunc quo lubet hinc abito,
Et cum voles huc redito,
Sed semper candidior.

AD MUSAM, ENCOMII DEDICATIO.

MUSA *cælitus prognata,*
Quæ nostra sepe vocata
Expleuisti munia,

Musa pijs adamata,
Et à multis celebrata,
Musa boni nuncia,

Vise tandem Eremitas,

Simul ipsos Cœnobitas

Sancti patres nominis:

Vade ad religiosos,
Viros Dei studiosos,
Cuiuscunq̃ue ordinis:

Vade

Vade, & his honoratis,
Prius & consalutatis,
Hunc libellum porrige:

Quem si quis fortè probabit,
Et quid reddet te rogabit,
Ora, dic, & dilige.

Inde, huc, illuc dedueta,
Et à Patribus instructa,
De fratrum concordia,

Te statim pijs mandatis,
Subijce & imperatis,
Multa cum modestia.

Mox à Deo benedictis,
Reuerenter valedictis,
Ac rogata venia,

Stude ilicet abire,
Et velociter redire
Tua ad officia.

Nam est rursus quod committam,
Et ad alios emittam
Nostris amantissimos,

Quos indignum non adire,
Et scelus sit præterire
Viros ornatissimos.

SOLITVDINIS
SIVE VITÆ SOLITA-
RIÆ ENCOMIUM, COR-
NELIO MVSIO DEL-
PHO ENCOMIASTE.

NON est idem vel scribendi,
Vel de rebus differendi,
Omnibus ingenium.
Huic vrbes, huic cantare,
Huic placuit laudare
Rusticanum prædium.

Ergo bellum hic Troianum,
Ille cecinit Thebanum,
Alius Pharsalium.

Quidam mero delectatus,
Maluit inebriatus
Scribere Symposium.

Est stultitiam exculto
Salte qui & satis multo
Extulit eloquio.

Rursum vnus nec errauit,
Gesta Christi enarrauit
Docto poëmatio.

*Multa ingeniorum
varietas.*

B Sunt

ENCOMIUM

Sunt & multi petulantes,
Ac amoribus vacantes,
Qui commendant Venerem.

Fuit etiam amicæ
(Si diis placet) impudicæ
Qui defleuit passerem.

Quisque quicquid adlubescit,
Et quod animo dulcescit,
Hoc tractat lubentiùs.

Et quod vati dat Minerua
Non inuita nec proterua,
Hoc præstat feliciùs.

Nos ingenio exili

Propositiò. Hebeti, tardo, senili

Pro nostris viriculis

Solitudinem cantamus,
Et ad vitam inuitamus
Priscis claram sæculis.

O beata Solitudo,

O sola beatitudo,

Pijs secessicolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

Huc

SOLITVDINIS.

Huc Vranie ferena
Ades, & cælesti vena
Lauda Solitudinem.

Lauda bene, lauda fanè,
Lauda plenè, lauda planè
Hanc beatitudinem.

Lauda viros barba canos,
Lauda sophos Christianos,
Duces abstinentiæ.

Lauda iuuenes præcinctos
Lumbis, atque sacrae cinctos
Balteo militiæ.

Lauda simplices, tenellas
Multas integras puellas,
Claras castimonia.

Lauda foeminas adultas,
Factas propter Christum stultas,
Raras sanctimonia.

Lauda firma Dei castra,
Quæ virtute tangunt astra,
Effugant Dæmonia.

Lauda solida exempla,
Ipsa viua Dei templa,
Dei ædificia.

B 2

Lau-

ENCOMIUM

Lauda specus & caellas,
 Lauda montes & rupellas,
 Arcta que tuguria.
 Lauda (nam sunt tibi nota)
 Tot Cœnobîa remota,
 Lauda Monasteria.
 Lauda zelum & amorem,
 Lauda æstum & feruorem
 Primitus fidelium.
 Lauda cursum huc frequẽtem,
 Et confluum diligentem
 Hominum tot milium.
 O beata Solitudo,
 O sola beatitudo,
 Pijſ Seceſſicolis.
 Quam beati candidati,
 Qui ad te volant alati
 Porrò à Mundicolis!
 Solitudo diuinarum
 Est theſaurus gratiarum,
 Sæculo abſconditus.
 Solitudo optimorum,
 Et donorum perfectorum
 Ager eſt reconditus.

*Monastica
 vita deſcri
 ptio.*

Soli-

SOLITVDINIS.

Solitudo olim vitæ
 Eſt directa via vitæ,
 Eſt breue compendium.
 Solitudo miſerorum
 Eſt aſylum peccatorum,
 Et tutum refugium.
 Nuſquam eſt in mundo tantum
 Commodarum rerum, quantum
 Datum Solitudini.
 Hic enim tranquillus portus,
 Hic delitiarum hortus,
 Paradifus Domini.
 Hic lignum frondet vitale,
 Quod nefas tollit letale,
 Chriſti tinctum fanguine.
 Hic ſtat arbor exaltata,
 Quæ ſecus riuos plantata,
 Viuo floret germine.
 Domus hic orationis,
 Campus ſpeculationis,
 In Dei operibus.
 Hic mons contemplationis,
 Hic fons meditationis,
 In diuinis legibus.

*Commodo-
 rum enarra
 tio.*

B 3

Hic eſt

ENCOMIUM

Hic est spiritus dulcedo,
Et perpetua viredo,
Multaque fertilitas.

Hic illi fructus triceni,
Sexageni & centeni,
Summaque felicitas.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secefficolis!

Quam beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

Hæc est vita speciosa,
Sacrosancta, fructuosa,
Si aduigilaueris.

Quæ plus habet in recessu,
Quam promittit in accessu,
Si perseveraueris.

Hic est cultus Dei verus,
Hic timor Dei sincerus,
Inculpata sanctitas.

Hic est fides solidata,
Spes & charitas firmata,
Raraque humilitas.

Soli-

SOLITVDINIS.

Solitudo non discorde,
Sed concorde Deum corde
Totis amat viribus.

Solitudo suos fratres
Omnes amat velut patres
Imis ex visceribus.

Solitudo Deo credit,
Nusquam à Deo recedit,
Quicquid tandem accidat.
Solitudo bene sperat,
Nunquam de Deo desperat,
Quæ res cunque incidat.

Solitudo spiritualis,
Quamuis desit corporalis,
Dulcis est possessio.
Solitudo corporalis,
Si non adsit spiritualis,
Vana est professio.

Nam quid foris profit ritè.
Absque turbis, absque lite,
In speluncis degere:
Si intus perturbatarum
Vermes conscientiarum
Vetant conquiescere.

*Duplex So-
litudò, Spiri-
talis & Cor-
poralis.*

B. 4. O beata:

ENCQMIVM

O beata Solitudo,
 O sola beatitudo,
 Pijſ Seceſſicolis.
 Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati,
 Porrò à Mundiculis!

Spiritualis non moratur,
 Siue vrbe concludatur,
 Extra ſiue mœnia.
 Modò vana ſpeculando,
 Et ſecurè iubilando,
 Vitet ſæcularia.

Qui, vt nil (quamuis vrbanus
 Habeatur aut mundanus)
 Ad mundanos pertinet:
 Ita nil, licet rureſtris
 Videatur aut ſylueſtris,
 Ad terrenos attinet.

Sed vbiuis de æterno,
 Et de folio ſuperno
 Inceſſanter cogitat.
 Inque carne hic hærendo,
 Sed angelicè viuendo,
 Mente cælum habitat.

In-

SOLITVDINIS.

Interim hæc conſecrata
 Vita, ſemper occupata,
 Simplex, Apoſtolica,
 Eſt cælo, eſt Diuis grata,
 Eſt Eccleſiæ probata,
 Nempe Euangelica.

Quæ ſi erit literata;
 Studiſque dedicata;
 Plurimum contulerit.
 Sin iſtis non ſit ornata,
 Nec de cælis illuſtrata;
 Triftis carcer fuerit.

Tolle literarum vſum
 Comparatum, vel infuſum,
 Vita de Monafterica;
 Si non fiat cerebroſa,
 Stupida, vel furioſa,
 Saltem fit phantaſtica.

O beata Solitudo,
 O ſola beatitudo
 Pijſ Seceſſicolis!
 Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati
 Porrò à Mundiculis!

*Solitudo li-
 terata.*

C

Mi-

ENCOMIUM

Mirum, hic qua grauitate
 Mista cum humanitate
 Sit morum maturitas:
 Sed multo magis miretur,
 Si quis intus contempletur
 Quæ sit vitæ probitas.
 Castitas hic exaltatur,
 Rigor ordinis feruatur
 Cum perseuerantia:
 Regulæ disciplinæ,
 Disciplinæ regularis.
 Viget obseruantia.
 Quicquid iubet venerandus,
 Atque pater obseruandus,
 Fit cum reuerentia:
 Nam ad nutum obeditur,
 Et ad iussum statim itur
 Absque resistantia.
 Hic submissio perfecta,
 Dicta rata, vota recta,
 Sancta conuersatio:
 Hic mandata sunt discreta,
 Hic obsequia sunt læta,
 Nulla excusatio.

Quæ

SOLITVDINIS.

Quæ sunt fratris, quærunt isti:
 Non quæ sua, sed quæ Christi:
 Abest hinc proprietas:
 Mutuus hic animorum,
 Et consensus studiorum:
 Vna est societas.
 Hic doctrina obseruatur,
 Orthodoxis quæ probatur,
 Profligatur falsitas:
 Libri prauis non leguntur,
 Nec quidem hic admittuntur:
 Sic stat verbi veritas.
 O beata Solitudo,
 O sola beatitudo
 Pij Secessicolis!
 Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati
 Porro à Mundicolis!
 Hic paupertas opulenta,
 Vita modicis contenta,
 Nota spiritalibus:
 Hic mœroris est solamen,
 Hic laboris est leuamen
 Abditum carnalibus.

C 2

Quif-

ENCOMIUM

Quisquis agit in Seceſſu,
 Iſthoc potitur ſucceſſu,
 Quòd nunquam deſeritur.
 Si ægrotat, viſitatur:
 Si tentatur, confortatur:
 Si fameſcit, paſcitur.
 Si quid graue frater portat,
 Frater hic fratrem ſupportat:
 Fratrem frater ſubleuat:
 Si quis mergitur peccatis,
 Aut inuoluitur erratis,
 Eſt qui illos alleuat.
 Vis te Chriſto conſecrare?
 Carnem vis mortificare?
 Locus hic aptiſſimus.
 Vis offerre gratum munus?
 Locus hic eſt oportunus,
 Locus commodiſſimus.
 De peccatis vis dolere?
 Vis ex corde pœnitere?
 Vitam vis corrigere?
 Hic ſecurè poſſis flere,
 Omnem culpam abolere,
 Et poſt lapſum ſurgere.

Vis

SOLITVDINIS.

Vis te rurſum oblectare:
 Mœſtam mentem recreare?
 Nuſquam potes rectiùs.
 Spiritus vis excitare?
 Animum exhilarare?
 Nuſquam agas lætiùs.
 O beata Solitudo,
 O ſola beatitudo,
 Pijs Seceſſicolis!
 Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati
 Porrò à Mundicolis!
 Monachorum inſtitutum
 Non eſt nuper inſtitutum,
 Vt ſectæ inſaniunt:
 Neque nouū eſt commentum,
 Neque recens eſt inuentum,
 Quod hoſtes obijciunt.
 Sed annis ter quingentenis,
 Ampliusque, quàm vicienis,
 Viguit Monaſtica.
 A Chriſto enim incepta,
 Ab Apoſtolis recepta,
 Fuit Therapeutica.

*Monastici
 inſtituti an-
 tiquitas.*

C 3 . Quod

ENCOMIVM

Quod si quis agrestiore,
Illamque incultiore
Spectet Solitudinem:

A priscis illis Prophetis,
Et claris Anachoretis
Vendicet originem.

O quantum auctoramentum,
Quale inauguramentum
Vita est Monachica!

O quam non terrena vita,
Quam supermundana vita
Vita Eremitica!

Dignitas. Quam licet Deo fecundam
Sacro à Clero secundam
Dignitate feceris:

Multis tamen conuenire
Modis, dices aut præire,
Si rectè perpendaris.

Quanquam nec antiquitatem
Tanti, neque dignitatem
Viri Christo dediti,

Quanti vitæ probitatem
Facimus, & pietatem
Singularis meriti.

O beata

SOLITVDINIS.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porro à mundicolis!

Nullus vates scribet rectè,
Nec Rhetor dicet perfectè
Laudes Mundifugiæ:

Tende vires, quantum potes,
Nunquam explicabis dotes
Vitæ solitariae.

Vbi est sollicitudo,
Ibi falsa solitudo,
Multa immutatio:

Vbi vera solitudo,
Nulla est sollicitudo,
Nulla est mutatio.

Vbi populus est multus,
Ibi multus est tumultus,
Multa est abusio:

Ordo, vbi paucitudo:
Verùm vbi multitudo
Ibi est confusio.

Vbi

ENCOMIUM

Vbi bona comparantur,
 Ibi mala euitantur
 Vel absque negotio:
 Vbi nunquam non oratur,
 Vel vbi semper cantatur,
 Quis ibi in otio?
 Vbi nullæ vnquam horæ
 Absque transeunt labore,
 Absque ducta linea;
 Non libenter operari,
 Desidemue otitari
 Res ibi extranea.
 Vbi quisque est modestus,
 Ibi nemo est molestus:
 Procul est discordia.
 Vbi amor æquitatis,
 Odium iniquitatis;
 Ibi est concordia.
 O beata Solitudo,
 O sola beatitudo
 Pius Secessicolis!
 Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati
 Porrò à Mundicolis!

Viri

SOLITVDINIS.

Viri hic religiosi
 Non sunt supersticiosi,
 Non sunt vt hypocritæ.
 Per ambages non incedunt,
 A receptis non discedunt,
 Recto pergunt tramite.
 E quibus licet Abbates
 Eligantur, & primates
 Omnium suffragio;
 Pedum tamen non captatur,
 Nec mitra desideratur:
 Non est hic ambitio.
 Quin plerique si cogantur,
 Si vi multa adigantur,
 Vti fiant Præsules;
 Si non possunt detrectare,
 Neque onus excusare,
 Esse malunt exules.
 Tantum abest, gloriosi
 Hic vt sint, aut fastuosi,
 Aut Thraones tumidi:
 Multo minùs moriones
 Hic versantur, & Gnatones,
 Vel lenones putidi.

D

Hic

ENCOMIUM

Hic rixosus est exosus,
Murmurosus est explosus,
Exulant fufurria:

Hinc proscriptus est delator,
Mendax, nugo, obtrectator,
Vna cum calumnia.

Iam si nullos otiosos
Ferant, aut desidiosos,
Vt ipsis dissimiles;

An putes luxuriosos
Tolerent, & ebriosos
Suibus per similes?

O beata Solitudo,

O sola beatitudo

Piis Secessicolis!

Quam beati candidati,

Qui ad te volant alati

Porro à mundicolis!

Nemo, quamlibet disertus,

Dixerit, nisi expertus,

Quanta hîc alacritas:

Nemo, quamlibet frugalis,

Scit, nisi spiritualis,

Quanta hic frugalitas.

Cellæ

SOLITVDINIS.

Cellæ inspice ornatum, *Frugalitas.*

Nihil inuenis ornatum,

Nihil superuacuum:

Non ibi vana pictura,

Nec inutilis sculptura,

Nihil est superfluum.

Terra mensa, & cubile:

Terra scamnum, est fedile:

Terra oratorium:

Herba cibum, vnda potum,

Arbor vestem, antrâ notum

Præbent domicilium.

Non conducitur ad ædes

Aut ad exornandas sedes

Scitus operarius:

Neque luculentus focus,

Neque exquisitus cocus

Hîc est necessarius.

Suas quisque struit casas;

Breues, humilesque casas,

Suis aptas vsibus:

Suos quisque carpit cibos;

Quos coctos, incoctos cibos,

Terra fundit omnibus.

D 2

Hic

ENCOMIUM

Hic rogare de Setinis,
Aut de vinis Tarentinis
Est superuacaneum:

Et de Ostreis Lucrinis,
Aut rogare de Echinis
Stultum, & frustraneum.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad revolant alati
Porro à Mundicolis!

*Mundi & Solitudinis
Ant. ithefes* Sed quis facile narrarit,
Quanta Solitudo parit
Vera mentis commoda?

Ecquis rursus dicat, Mundus
Quid mali vehit facundus,
Quot adfert incommoda?

Mundus amat voluptates,
Risus, iocos, leuitates,
Ludos amat scenicos:

Monachi bene moratos,
Graues amant, & sedatos
Gestus Euangelicos.

Mundi

SOLITVDINIS.

Mundi incolæ laborant
Nouis sectis, quas ignorant
Tuta hæc refugia.

Mundus & impuritate
Gaudet, est falacitate:
Hic damnantur talia.

Mundus mutuuum inuadit,
Cedit, perdit, morti tradit,
Nec parcit à fratribus:

Hic sub rubris Christi signis,
Ut quisque magis insignis,
Militat pro fratribus.

Mundus mero delectatur,
Et symposiis lætatur,
Appetit delicias:

Isti Deo dedicati,
Et Christo sanctificati,
Nesciunt lautitias.

Mundus quos odit, remotos
Porro mittit vltra Gothos,
Aut tollit exitio:

Sed viri Dei volenter,
Et æterno se lubenter,
Mancipant exilio.

D 3

O beata

ENCOMIUM

O beata Solitudo,
O sola beatitudo
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à mundicolis!

Solitudo est virtutis,
Pacis schola, & salutis,
Summi fedes gaudij:

Mundus contra est malorum,
Et sentina vitiorum,
Iugis locus tædij.

Contumaces sunt Mundani,
Sunt mendaces, leues, vani
Detractores, liuidi:

Eremitæ sunt veraces,
Æqui & iusti tenaces,
Amatores candidi.

In Mundo seditiones,
Et horrendas factiones
Sæpe mouent reprobis:

In Seceffu non rumores,
Cædes, clades, nec furores
Audiuntur improbi.

Mun-

SOLITVDINIS.

Mundus saltat ad lasciuia,
Amatoria, nociua
Carmina spurcissima:

Isti voce spiritali
Cantant Deo immortalis
Cantica sanctissima:

Mundus autor prauitatis,
Officina vanitatis,
Doctor iniustitiæ:

Solitudo pietatis
Mater est, & sanctitatis:
Doctrix est iustitiæ.

Soli, quid agant expendunt:
Vident quorsum cuncta tendunt,
Multa cum industria:

Turbæ res bonas confundunt,
Et vappam mero infundunt:
Turbæ turbant omnia.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

Quàm

ENCOMIVM

Quàm suavis,quàm quieta,
Quàm est læta,quàm secreta
Sola habitatio!

In turba nec hæc,nec illa
Hora vnquam est tranquilla;
Sed iugis turbatio.

In multis multum peccatur,
Et à vero aberratur
Vel toto itinere:

Sed horum occasiones,
Minæ,vel promissiones
Magno vigent pondere.

Solis quidem & peccandi,
Et à recto deuiandi
Vt minor occasio:

Rectè quoque sic agendi
Est,& Deo seruiendi
Longè maior ratio.

Ergo turbæ sunt petaces,
Sunt furaces,sunt rapaces,
Colunt auaritiam:

Solis,Monachi prudentes,
Necessariis vtentes,
Proterunt pecuniam.

Hinc

SOLITVDINIS.

Hinc in Mundo sunt elati,
Sicut vtres sunt inflati,
Turgidi iactantia:

Non sic isti,qui demissi,
Omni homini submissi,
Negligunt sublimia.

Hinc Mundani falsum iurant,
Homines,nec Deos curant,
Se solos respiciunt:

Hi præ oculis habentes
Et Deum semper timentes,
Neminem despiciunt.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secessicolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

Solitudo malumpellit,
Omne ad bonum impellit,
Solitudo afficit:

Solis Mundus malis gaudet
Et mali nihil non audet:
Multos Mundus inficit!

E

Soli-

ENCOMIVM

Solitudo viros fingit
Bonos, & malos refingit,
Solitudo perficit.

Mundus plurimos disperdit,
Et atro veneno perdit,
Mundus multos conficit.

Solitudo ad fabellas
Non admittit intra cellas
Vllius confortium:

Ast Mundus absque delectu
Magno garrulis affectu
Cunctis pandit ostium.

Solitudo hospitalis
Est, & multum liberalis,
Læta fratres excipit:

Mundus nulli se exponit,
Nulli bono mensam ponit,
Nec egenos recipit.

Nulla lis est in Eremito;
Vbi pro terrenis nemo
Inuadendis militat:

Sed Mundus pro deuaftandis,
Aut pro regnis occupandis,
Vel armis sollicitat.

Interim

SOLITVDINIS.

Interim nil cella curat,
Siue bellum Scotos vrat,
Siue Anglos obruat:

Siue hostis in Hispanos,
Seu in Sueuos, seu in Danos,
Seu in Gallos irruat.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secessicolis!

Quam beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

Hei quot Mundus celat vncos!
Hamos quot iacit ad uncas!
Quot tendit insidias!

Hei quot laqueos abscondit!
Quot muscipulas recondit!
Quot tegit astutias!

Mundus, Caro, & Satanas
Animas quot perdunt sanas!
Quot mittunt ad inferos!

Mundus, Caro, & Satanas
Hei quot res promittunt vanas,
Vt defraudent superos!

E 2 Tamen

ENCOMIUM

Tamen tuti sunt præfortes
 Monachi, metus exortes,
 Qui spirant ad prælia:

Quamuis enim foli degant,
 Nec se Mundi armis regant,
 Sunt muniti gratia.

Nemo diris hic terretur,
 Nemo mortem hic veretur:
 Tanta est fiducia.

Nemo asperis diffidit,
 Nemo prosperis confidit:
 Tanta est prudentia.

Sed seu venti sint diuersi,
 Seu fauentes, seu aduersi,
 In vitæ discursibus;

Isti semper laudes dicunt,
 Grates agunt, benedicunt
 In lætis ac tristibus.

Sciunt enim abundare,
 Et ærumnas tolerare,
 Si Deus voluerit:

Sciunt quoque ieiunare,
 Et subinde manducare,
 Vt, res, cunque tulerit.

O bea-

SOLITVDINIS.

O beata Solitudo,
 O sola beatitudo
 Pij Secefficolis!

Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati
 Porrò à Mundicolis!

Sæpè quod est præstitutum,
 Et quod semel est statutum,
 Renouant propositum:

Vt seipsis fortiores
 Exequantur per Maiores,
 Quicquid est impositum.

Sed & numine repleti
 Sunt in omnibus discreti,
 Vt iubet fraternitas.

Discretio.

Et nunc paulum curiosi,
 Nunc edunt nil scrupulosi,
 Quicquid dictat æquitas.

Sæpè sunt tam abstinentes,
 Vt nolint, quamuis egentes,
 Vti necessariis:

Rursum cernas charitate,
 Siue motos pietate,
 Vfos esse variis.

E 3

Sæpè

ENCOMIVM

Sæperantum subticendo
Profunt, quantum colloquendo
Auidi silentij:

Sæpe mæstis consulendo
Plus profunt, quàm reticendo
Diuites consilij.

*Omnia sur-
sum.*

Sursum versum corda gerunt,
Sursum cogitatus ferunt,
Et pia suspiria.

Sursum spem, fidem attollunt,
Sursum charitatem tollunt,
Sursum vehunt gaudia.

Sursum contemplationes,
Sursum meditationes,
Sursum desideria:

Sursum totus est affectus;
Vnde mentis est profectus,
Et virtutum præmia.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo
Pijs Secessicolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

Solem

SOLITVDINIS.

Solem maius luminare,
Sidera illuminare,
Vt minora cernimus;

Monachos sic eminere,
Cæterisque præluere
In hac vita credimus.

Hi Deo sese conformant,
Dei se ad verbum formant,
Deo sese vniunt:

Sese in Deum transmutant,
Se absorbent, se commutant,
Se Deos efficiunt.

Deo votis se assignant,
Se & omnia resignant,
Sub eius dominio:

Nihil student, nec conantur,
Quàm Dei quem venerantur,
Obsequi imperio.

Ab externis se auertunt,
Se introrsum prorsum vertunt,
Se in Deo colligunt:

Si secunda nunc immittat,
Nunc aduersa Deus mittat,
Æquè ipsum diligunt.

*Exercitia
pietatis.*

Ni-

ENCOMIVM

Nihil sunt (hoc primum discunt)
 Nil habent, nil concupiscunt,
 Solum Deum ambiunt:

Ipso solo sunt contenti,
 Cuius bona piæ menti
 Affatim sufficiunt.

Nullum sibi bonum scribunt,
 Deo omnia ascribunt,
 Et bonis spiritibus:

Malum Deo nullum scribunt,
 Sibi omnia ascribunt,
 Et malis spiritibus.

O beata Solitudo,
 O sola beatitudo,
 Pijis Secefficolis!

Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati
 Porrò à Mundicolis!

Absque creaturis degunt,
 Se suosque sensus regunt,
 Se curis expediunt:

Linguam valdè continenter
 Oculos indefinenter
 A vanis custodiunt.

Abfit

SOLITVDINIS.

Abfit mentem vt ornatu,
 Aut gustu, aut odoratu,
 Aut auditu inquinant:
 Abfit indecoro lusu,
 Aut ingenij abusu
 Animam contaminant.

Omnes oblectationes,
 Atque consolationes,
 Ponunt in cælestibus:
 Euge Mundi fraudulentum,
 Et fallax delinimentum
 Viris cedunt mollibus.

Corrigunt affectiones,
 Et conceptas actiones,
 Si prauas inueniunt:
 Cogitatus vitiosos,
 Otiosos scrupulosos,
 Velut angues, fugiunt.

Propter Christum cuncta relinquunt,
 Patrem, matrem derelinquunt
 Dulci cum familia:

Vni Christo se impendunt,
 Cuius nomine diuendunt,
 Ampla patrimonia.

F

Imò

ENCOMIVM

Imò propter Christum vadunt,
Et in mortem sese tradunt
Summa cum constantia:

Et qui Mundo cecidisse
Visi sunt, vel periisse,
Ipsi sunt in gloria.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs secessicolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

Sæpe, & multum tentantur,
Et à multis infestantur,
Homines sanctissimi:

Nulli tamen hosti cedunt,
Nec vlli quicquam concedunt.
Pugiles fortissimi.

Contra Dæmones certare
Est iustis familiare,
Est penè assiduum:

Mundi astus declinare,
Carnis cæstrum debellare,
Ferè est continuum.

Dæmo-

*Pugna &
victoria Mo-
nachorum.*

SOLITVDINIS.

Dæmones nunc fide sternunt,
Nunc Dei verbo prosternunt
Multis cum ieiuniis:

Prece quoque subiugare,
Illos solent, & fugare,
Cruce & vigiliis.

Mundum superant latendo,
Et promissa contemnendo,
Mera vt ludibria:

Quòd si ita non succedat,
Et despectus non abcedat,
Vincunt patientia.

Carnis æstus furiosi,
Valde sunt periculosi,
Sunt violentissimi:

Quum tamen fide impugnant,
Aut ieiunio repugnant,
Cedunt velocissimi.

Sed quid attinet narrare,
Hos quod hostes superare
Monachi potuerint?

Quum seipfos vt laterent,
Ac vt Deo adhærent
Strenuè deuicerint.

F 2

O bea-

ENCOMIVM

O beata Solitudo,
O sola beatitudo
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porro à mundicolis!

*Viri sancti
ludibrio
sunt Munda-
nis.* Viri Dei, & electi
A Mundanis sunt reiecti,
Ac si essent stolidi:

Verùm piis deamati,
Sunt ab ipsis reputati
Viri valdè prouidi.

Illi ipsi Deo chari,
Digni à cunctis amari,
Sunt inuisi seculo:

Et à stulto eminentes,
Ac miraculis pollentes,
Deluduntur populo.

*Interim lux
Mundi &
sal terra
sunt.* Verùm qui sic subsannantur,
Et vt fatui putantur,
Qui hic potant flumina:

Speculum sunt imprudentum,
Et sunt sal insipientum,
Sunt & Mundi lumina.

Adde

SOLITVDINIS.

Adde qui sic contemnuntur,
Deprimuntur, exploduntur,
Et qui hic sunt minimi:

Postea exaltabuntur,
Gloria coronabuntur,
Habebuntur maximi.

Quos si forte Pharaones
Persequuntur, aut Nerones;
Abdunt se latibulis.

Si iubet Deus prodire,
Pro fide mortem subire,
Obuiant periculis.

Post enim afflictiones,
Duros post mortis agones.
Certum est resurgere:

Et per Christi passionem,
Mortem, resurrectionem,
Sperant semper viuere.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

F 3

Iam,

*Persequen-
tio.*

*Fides resur-
rectionis*

*Spes vite
aterna.*

ENCOMIUM

Iam, qui multi hic videntur,
Vnitatis Religionis. Monachi vnum fatentur
 Fide, mente, actibus:
 Nec ab vno sunt disiuncti,
 Sed in vnum sunt coniuncti
 Mutuis affectibus.

Vnde dicti Monachi. Neque Monachi dicuntur
 Tantum, quod cellis abduntur,
 Aut quod soli victitant,
 Sed quod vno delibuti,
 Et ab vno instituti,
 Vnum bonum quaeritant.

Varij cultus Religionem non variat. Nec idcirco diuiduntur;
 Variis quod discernuntur,
 Mistisve coloribus:
 Aut quod maestis hi vtuntur,
 Hilatis amiciuntur,
 Alijsve vestibus.
 Sed distinctis colorati,
 Qui putantur separati
 His & his habitibus,
 Vnum simul Deum volunt,
 Indiuidique colunt
 Votis vniformibus.

Sciunt

SOLITVDINIS.

Sciunt enim, quod nitorem
 Non curet, neque squalorem,
 Neque formas vestium:

Qui mansuetis delectatur,
 Et in intimis moratur,
 Cordibus credentium.

Sic de Regulis censendum,
 Ac de multis sentiendum,
 Puta, Ceremoniis:

Quae quantumlibet difformes
 Pareant, sunt pariformes
 Suis ex indiciis.

O beata Solitudo,
 O sola beatitudo
 Pij Secessicolis!

Quam beati candidati,
 Qui ad te volant alati.
 Porro à Mundicolis!

Hi athletæ sunt zelosi,
 Strenui, & animosi,
 Stant pro Orthodoxia:

Et si (vt putas) respirant,
 Nunquam tamennon suspirant
 Pro eius iniuria.

Charitate

*Regularum
 & Ceremoniarum diuersitas, unitatem non diuidit.*

ENCOMIUM

Charitate radicati,
Et fide corroborati,
Ambulant intrepidi:

Cælum terræ misceatur,
Fractus orbis illabatur,
Permanent impauidi.

Quàm humiliter incedunt,
Si quando foras procedunt,
Ad fratrum subsidia!

Quàm sunt rerum negligentes,
Quàm sunt rursus diligentes,
In sui custodia!

Paci student & quieti,
Velut agni sunt mansueti,
Omnibus amabiles:

Modò Deo sint amici,
Nil curant si inimici
Mundo sint odibiles.

Mundus amat adorari,
Par fas nefas dominari,
Et quod lubet agere:

Isti Mundo nec placere,
Didicerunt, nec timere,
Sed palam contemnere.

Mundus

SOLITVDINIS.

Mundus floret, saltat, ridet,
Nec se ipsum satis videt
Multa præ superbia:

Interim Sancto Sanctorum,
Grege abiectus Monachorum,
Pfallit cum lætitia.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secessicolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porro à Mundicolis!

Pfallunt manè absque mora,
Prima, tertiaque hora,
Ante solis aditum:

Sexta, nona, vespertina,
Pfallunt hora, sed diuina
Complent sub occubitum.

Sed & carnis fauciata,
Et subinde vitiata,
Vt petant remedia:

Sæpius euigilantes,
Et ad preces festinantes,
Nocte surgunt media.

Psalmodia.

*Hora Cano
nica.*

G Quos

ENCOMIVM

Quos si videas plorantes,
Si psallentes, si orantes,
Suis pro reatibus:

Mirum si non ipse plores,
Si non psallas, si non ores,
Pro tuis criminibus!

Adeò sese submittunt,
Se prosternunt, se demittunt,
Vt si essent infimi:

Tam profusè lachrymantur,
Sic vindictam deprecantur,
Vt si essent pessimi.

At non frustra plurimarum
Riuos fundunt lachrymarum,
Nec sunt frustra supplices:

Nam humilibus addictus
Deus, ac velut obstrictus,
Semper audit simplices.

Hei ter quater infelices
Nos, sed illos ô felices,
Qui hic curant ardua!

Sic enim fas inuenire
Gratiam, & peruenire
Ad regna perpetua.

O bea-

SOLITVDINIS.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secessicolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

Sed non semper soli mœrent
Monachi, nec semper hærent,
Intra oratoria:

Sed ob causas conuenire
Illis licet, & exire,
Ad pia colloquia.

Quando autem congregantur,
Non de friuolis nugantur,
Nec enarrant somnia:

Sed de summa Maiestate,
Et Christi humanitate,
Prima est materia:

Mox de culpis extirpandis,
Et silentiis seruandis,
De Dei iustitia:

De ærumnis Inferorum,
De triumphis Superiorum,
Multa tractant seria.

*Colloquia
ne Collatio-
nes Mona-
chorum.*

ENCOMIUM

Posthæc de tentatione,
 Et exercitatione,
 Grauis sermo oritur:
 Multum & Dei narrandis
 Et donis enumerandis,
 Temporis impenditur.
 Quàm de gratiis agendis,
 Et de laudibus canendis,
 Hilares definiunt!
 At diem illum supremum
 Et iudicium extremum,
 Quo fletu discutiunt!
 Interim in Cruce Christi,
 Ac in morte eius tristi,
 Lætaque victoria,
 Inter istos seruos Dei
 Fide fumos, plenos spei,
 Tota est memoria.
 O beata Solitudo,
 O sola beatitudo
 Pij Secefficolis!
 Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati
 Porro à mundicolis!

Iam

SOLITVDINIS.

Iam quum sacris operantur,
 Aut dum sacra celebrantur,
 Et sacris communicant:
 Quo affectu se adornant,
 Vel quo mundo se exornant,
 Quibus se purificant!
 Qualia tunc meditantur,
 Qualia tunc specularunt,
 Quæ tunc mente agitant!
 Dicas quod Christo immerfi,
 Et à cunctis quod auersi,
 Extra sese volitant.
 Tali veneratione,
 Tali trepidatione,
 Hanc ad cœnam adeunt:
 Tali exultatione,
 Tali modulatione,
 Ab hac mensa abeunt.
 Sed huc quoties accedunt,
 Ne offendant quum recedunt,
 Aut huc quando properant:
 Prius per contritionem,
 Et veram confessionem,
 Se culpis exonerant.

*Quomodo
 vel ipsi sa-
 crificantes
 vel aliorum
 sacra audien-
 tes ac com-
 municantes
 se gerunt Mo-
 nachi.*

G 3

Sic

ENCOMIUM

Sic demum se immortalis
 Christi pane, ac vitali
 Corpore communiunt:
 Sic demum Christi cruore,
 Quem nostri fudit fauore,
 Sese totos fulciunt.

Et sicut hoc testamentum,
 Hocque curant sacramentum,
 Ut degustent candidi:
 Ita postquam sunt nutriti,
 Cauent ne sacris muniti,
 Rursum fiant fordidi.

O beata Solitudo,
 O sola beatitudo
 Pijis Secessicolis!
 Quam beati candidati,
 Qui ad te volant alati
 Porrò à mundicolis!

Hi quum sciant rugientem
 Beluam, nunquam stertentem,
 Circuire fedulò:
 Cauti, ne perdat, obsistunt,
 Et multa fide resistunt
 Vigiles diluculo.

Huius

SOLITVDINIS.

Huius ergò semper sistunt
 Christo sese, nec desistunt,
 Donec exaudierit:
 Ergo cæli pulsant fores,
 Neque cessant pulsatores,
 Donec liberauerit.

Hi sunt qui non infoderunt,
 Sed talenta expenderunt,
 Ad quæstum ditissimum:
 Qui & agros rigauerunt,
 Vineam excoluerunt,
 Ob lucrum certissimum.

Qui & rete ad capturam
 Mittunt, minas ad vsuram
 Credunt numulario:
 Qui & cuncta vendiderunt,
 Proque vnius dederunt
 Margaritæ precio.

Hi sunt iugum qui suaue,
 Et illud portant non graue,
 Onus Euangelicum:
 Ut quietem possidere,
 Utque fructum obtinere
 Valeant saluificum.

O seruos

ENCOMIUM

O seruos Dei beatos,
Quos, cum venerit, paratos
Dominus inueniet:

Quos & idem vigilantes,
Ac pie negotiantes,
Rediens reperiet.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijis Secessicolis!

Quam beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porrò à Mundicolis!

*Mundus hu-
iusmodi vi-
ros non ha-
bet.*

Ecquid tale profert Mundus,
Mundus nil minus quam mundus,
Mundus immundissimus:

Qui nunquam non fuit bonis
Sacrae vineae colonis
Iure indignissimus.

Rara avis est in vrbe,
(Ne mendaci crede turbæ)

Vir absolutissimus:

Sed perfectus in Deserto,
In Secessuque pro certo,
Vir est frequentissimus.

Nec

SOLITVDINIS.

Nec enim Mundanos dicam,
Qui vel vnam Mundi micam,
In se habent minimè:

Sed ad sanctum illi gregem,
Qui sanctorum seruant legem,
Pertinent æquissimè.

Vbi vbi sis locorum,
Si piorum normam morum
Exprimis legitimè:

Semper eris Deo gratus,
Et cum iusto computatus,
Populo certissimè.

Sodoma quid inquilino,
Licet reprobis vicino,
Quid impura nocuit?

Et Lucifero funesto,
Deo cum suis infesto,
Quid cælum quid profuit?

In mente est Solitudo,
Et vera perfectitudo,
Vbicunque habites:

Interim præstat, securus,
Quo magis agas, obscurus,
Si seorsim latites.

*Pie videnti
omnis locus
solitarius
est.*

Loth.

Lucifer.

H

O bea-

ENCOMIVM

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati.
Porro à Mundicolis!

Nullus locus, vt videmus,
Prius ducit quàm Eremus,
*Ex via Monastica pro
clinis ad caelum via est.*
Ad cæli palatia:

Nullus Mundus sic ditare,
Nullæ Vrbes sic beare,
Nulla potest Regia.

Nunc Vranie benigna,
Clarissimum quorundam Solitariorum Nomenclatura.
Digniorum laude digna,
Dic Patrum vocabula:

Dic quos cellæ educarunt,
Et quos viros illustrarunt,
Sola habitacula:

Adam ille primus homo,
Pulchro qui deceptus pomo,
Seque nosque perdidit,
Solutus vixerat beatus,
Solutus erat exaltatus,
Comitatus cecidit.

Solutus.

SOLITVDINIS.

Solutus gaudet, feriatur,
Non laborat, non tristatur,
Multo felicissimus:

Comitatus in algore,
Panem querit & sudore,
Vir infelicissimus.

Solutus Patriæ cælestis
Ciuis fuit, mox agrestis,
Confors fit exilij:

Solutus fuit immortalis,
Comitatus fit mortalis,
Primi exors solij.

Vndediscas quid sperare,
Aut quid possis expectare,
De puella socia:

Si solum pulchrè florentem,
Socium fecit mærentem,
In multa miseria.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porro à Mundicolis!

H 2

Odor

ENCOMIUM

Odor hic Abeli gratus
Fuit Enoch hinc translatus,
Vitæ vir fanētissimæ:

Noe quoque hic laudatus,
Qui cum paucis conseruatus,
Vixerat iustissimè.

An putes quòd laqueato,
Abrahamus aut aurato,
Confidet in folio:

Quum Dei qui est in cælis,
Gentium pater fidelis,
Fruitur colloquio?

Nec in vrbibus sedebat,
Quando tres excipiebat
Angelos hospitio:

Sed sub quercu expectabat
Peregrinos, quos tractabat,
Splendido conuiuio.

Puteus ille viuentis,
Ifaaco, & videntis,
Cæteris sapidior;

Satis docet, Solitudo
Quòd illi quàm multitudo,
Longè esset gratior.

Iacob

SOLITVDINIS.

Iacob fratris supplantator,
Scelerumque conculcator,
Vbi scalam conspicit?

Moses, hostes precum armis,
Cætera totus inermis,
Vbi fusos aspicit?

Parcius præclare facta,
Intra Vrbes sunt peracta,
Plurimis præsentibus:

Sed in cellis, subve Solis
Vmbra, Deus sæpe solis,
Mira fecit Patribus.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secessicolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati
Porrò à Mundicolis!

Hic insignes tot Prophetæ,
Hic inuicti tot Athletæ,
Decertarunt acriter:

Hic & Virgines decentes,
Viduæque continentes,
Substiterunt fortiter.

H 3

David

ENCOMIUM

David ille rex inuictus,
Corde admodum afflictus,
Præ suis sceleribus:

Huc sapiſſimè confluxit,
Hic peccata ſualuxit,
Derelictis Urbibus:

Hinc Helias vita rectus,
Igneo eſt curru vectus,
Mundi à nequitia:

Hic & plurima ſucceſſor
Helizeus, vt præceſſor,
Palluit inedia.

Quin & Chriſtus hic proſtrauit,
Satanamque ſuperauit,
Scripturarum iaculis:

Idem multas ſaturauit
Turbaſ hinc, & prædicauit,
Editiſ miraculiſ.

Et quum iam ſuos formaret,
Et arcana explicaret,
Solus eſſe maluit:

Solus precibus vacauit,
Et dum ſe tranſfigurauit,
Solus cum ſolis fuit.

huſG

H

Ange-

SOLITVDINIS.

Angelus quum ſalutaret,
Spiritus quum obumbraret,
Sola erat Maria:

Sola iuit ad Montana,
Multa anui humana
Vt ferret obſequia:

O beata Solitudo,
O ſola beatitudo,
Pijs Seceſſicolis!

Quam beati candidati,
Qui ad te volant alati:
Porro à Mundicolis!

Huc Baptiſta vix dum natus,
Confugit, Mundi mundatus,
Timens à contagio:

Hic parciffimè nutritur,
Tenuiffimè veſtitur,
Tegitur tugurio:

Hic & nobiliſ peccatrix,
Priſcæ vitæ caſtigatrix,
Agit pænitentiam:

Ac Dei ſola timore nobiliſ
Nixa, ac feruens amoreſ,
Hic exorat veniam:

huſG

Paulus.

ENCOMIUM

Paulus ardens huc volauit,
 Quem per coruum Deus pauit,
 Quum adest Antonius:

Idem rectus hic orauit,
 Hinc ad superos migravit,
 Quum abest Antonius.

Qui velut antesignanus,
 Mille miles veteranus,
 Cum monstris concreditur:

Et quantumuis oppugnatus,
 Victor semper coronatus,
 Ab illis digreditur.

Hic Hilarion mansuetus,
 Cum Dæmonibus affluetis,
 Superat assidue:

Hic Macharij silentes,
 Ephrem & Theon feruentes,
 Vigilant continue.

Hic Amona se exercet,
 Se Pityrion coërcet,
 Seruusque Serapion:

Idem facit Eleemon,
 Et asceticus Cheremon,
 Largusque Bisarion.

O bea-

SOLITVDINIS.

O beata Solitudo,
 O sola beatitudo,
 Pij Secefficolis!

Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati,
 Porro à Mundicolis!

Vigil hîc Nazianzenus,
 Et magnus Cappadocenus,
 Longo exercitio:

Annis tredecim probati
 Merito sunt decorati,
 Christi Pontificio.

His Chrysoftomum adiungens,
 Nec Eulogium disiungens,
 Adde Athanasium:

Adde quoque Emisenum
 Et pium Samofatenum,
 Et clarum Euagrium.

Chronium, Seuerianum,
 Dorotheum, Iulianum,
 Pamphilum, Arsenium:

Theodorum Isidorum,
 Abraam, Heliodorum,
 Domnion, Paphnutium.

I

Et

ENCOMIUM

Et quur differo Martinum,
 VVillibrordum, Cælestinum,
 Lullum, Bonifacium?
 Quid ad oram Phrygiensem,
 Exulem, Pictauensem
 Transeo Hilarium?

Nefas fuerit Brunones
 Præterire & Hugones,
 Et cellas Carthusias:

Culpa nec minor Amones,
 Præterire & Pambones,
 Et casus Ægyptias:

Et æquum sit Benedictum,

*Sunt qui re-
 ferant Cœ-
 nobia D.
 Benedicto
 dicata
 (quas Ab-
 batias vo-
 cant) septē
 supra trigin-
 ta millia v-
 no tempore
 extitisse.*

Verè illum benedictum,

Milleque collegia:

Et melliflui Bernardi:
 Subticere & Lunardi,
 Sacra fodalitia?

O beata Solitudo,

O sola beatitudo,

Pijs Secessicolis!

Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati,
 Porrò à Mundicolis!

Pene

SOLITVDINIS.

Penetra Casinum montem,
 Vallem claram, clarum fontem,
 Fac, quæso, periculum:

Lustra oras Asianas,
 Europæas, Aphricanas,
 Totum orbis circulum:

O quot celebres offendes,
 O quot pios depræhendes,
 Viros hic asceticos!

O quantum & tunc gaudebis,
 Quum innumeros videbis
 Viros theoreticos.

Hic videbis Augustinum,
 Et Ambrosium diuinum,
 Vixdum imitabiles:

Hic Eusebium doctorem,
 Hic Gregorium pastorem,
 Patres admirabiles:

Hic procedent Præmonstrati,
 Cultu candido ornati,
 Iesaiique feruidi:

Hic occurrent VVilhelmitæ,
 Carmelitæ, Ioannitæ
 Minimique pallidi.

I 2

Hic

ENCOMIUM

Hic sancti Cluniacenses,
Integri Cistercienses,
Duri Ciliciferi:

Hic demissi Franciscani,
Hic graues Dominicani,
Fortesque Crucigeri.

Sed stellas vult computare,
Qui vult Patres numerare,
Sacrae Solitudinis.

Tot addicti amatores,
Tot olim erant cultores,
Huius quietudinis:

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secessiculis!

Quam beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porro à Mundiculis!

At quis foeminas narrabit,
Virginumque indagabit,
Casta contubernia?

Quis harum integritatem,
Scribetque alacritatem,
Dicet exercitia?

Quis

SOLITVDINIS.

Quis Anitam, quis Albinam,
Iphigeniam, Sabinam,
Candidam, Gelasiam?

Aut quis memoret Maranam,
Alexandram, Iulianam,
Martham & Olympiam?

Aegrè, sed tamen Iubinam,
Et transilio Saluinam,
Magnam & Syluaniam:

Præter quod, eo Blefillam,
Cum Photina Basinillam
Claram & Melaniam.

Et quid Paulam, aut Marcellam,
Theodoram aut Afellam
Dicam, aut Eustochium?

Quum sola signis notare,
Nomina vel recitare,
Nullum possit otium.

Nos ad finem aspiramus,
Et his pauculis putamus,
Sat dictum beneuolis.

Nec enim exemplis cultis,
Quamuis veris, quauis multis,
Satis fit maleuolis.

I 3

Interim

ENCOMIUM

Interim procul discedat,
Nec ad sacra hæc accedat,

Quisquis est leuiculus:

Procul absit hinc prophanus,
Ac Mundi philtro infanus,
Urbes colat æmulus.

O beata Solitudo,

O sola beatitudo,

Pijs Secessicolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porro à Mundicolis!

Age verò qui hæc audis,

Cui huius carmen laudis,

Nil, puto, displicuit:

Cui nullus blandiendo,
Pollicendo, largiendo,
Mundus nimis placuit.

Age & his excitatus,

Et huc toties vocatus,

Surge, veni, propera:

Hic suauius fedebis,
Hic tranquillius manebis,
Excute tot onera.

Linque

SOLITVDINIS.

Linque Mundo suos numos,

Gloriarum sperne fumos,

Fuge innotescere:

Et postquam inemptum holus,

Dulce sapit, viue solus,

Ama delitescere.

At Pater (inquis) obsistit,

Et Mater nunquam desistit,

Reuocare fletibus:

Sed & liberi subinde

Me demulcent hinc & inde,

Dulcibus amplexibus.

Fuge derelicto Patre,

Et inuita perge Matre:

Non est hæc impietas.

Sed si per tot moras rumpis,

Si hæc vincula dirumpis,

Hæc demum est pietas.

Nam licet sit concedendum,

Et parenti obsequendum,

Si quid tibi iusserit:

Annon magis auscultandum

Et Christo obtemperandum,

Quo, te, cunque traxerit?

O bea-

*Ad Mona-
sticen ex
hortatio.*

ENCOMIUM

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porrò à Mundicolis!

Non vides calamitosa,

*Atemporis
calamitate:
sive à cor-
rupto huius
seculi statu.*

Turbulenta, factiosa,
Tempora tristissima?

Non vides confcelerata,
Impia, exulcerata,
Secula nequissima?

*Hæretici
numero vin-
cunt Catho-
licos.*

Numera, si potes, sectas,
In tam multas partes sectas,

Numera Hæreticos:

Fallor, si non pauciores,
Si non numero minores,
Inuenis Catholicos.

Nec enim tantum Vicinis,
Neque solis Oppidanis,
Simulati præfident.

Sed & totas regiones,
Regna, aulas, ditiones,
Violenti possident.

Templa

SOLITVDINIS.

Templa Dei cuerterunt,
Et in stabula verterunt,
Multa contumelia:

Virgines constuprauerunt,
Viduaſque affecerunt
Grandi ignominia.

Sacrificiis dicata,

Aræ sunt contaminata,

Sacraque communio:

Missæ sacræ sunt abiectæ,
Ceremoniæ despectæ,
Verusque religio.

Dies festos sustulerunt,

Venerandas abstulerunt

Martyrum exuuias:

Ossa sacra combusserunt,
Et in flumen proiecerunt
Cinerum reliquias.

O beata Solitudo,

O sola beatitudo,

Piis Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porrò à Mundicolis!

K

Di-

*Quid desi-
gnarūt olim
aut quid de-
signant ad-
huc Hæreti-
ci.*

ENCOMIUM

Diuûm inuocationem,
 Simul intercessionem,
 Tollunt & subsidium:
 Ignem cum Præbyteratu,
 Cumque toto Monachatu,
 Rident purgatorium.
 Sacramenta corruerunt,
 Et septena redegerunt
 Ad multo paucissima.
 Quidam vnum statuerunt
 Duo alij sanxerunt,
 Tria vel quàm plurima.
 Nunc Baptisma iteratur,
 Nunc totum obliteratedur
 Pro ipsorum placito:
 Sola fides stabilitur,
 Opus bonum fastiditur,
 Viuitur pro lubito.
 Sacras benedictiones,
 Vocant execrationes,
 Et meras officias:
 Et exorcizationes,
 Atque eiurationes,
 Æstimant præstigias.

Quia

SOLITVDINIS.

Quid sacratum quod vnguentum,
 Magnum initiamentum,
 Sordibus inficiunt?
 Quid ritus quod vetustorum,
 Patrumque pientiorum,
 Penitus abijciunt?
 Verbum Domini secare,
 Et purè annunciare,
 Sese solos asserunt:
 Sed nihil quàm vitiatum,
 Et fœdè adulteratum,
 Mentientes adferunt.
 O beata Solitudo,
 O sola beatitudo,
 Pijis Secessicolis!
 Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati,
 Porro à Mundicolis!
 Crucis admirandum signum,
 Et tam preciosum lignum,
 Dedignantur colere:
 Nec in locis consecratis,
 Nec in ædibus priuatis,
 Sustinent reponere.

K 2

Quid

ENCOMIVM

Quid dicam de Electorum,
 Simulachris? aut Diuorum,
 Quid de imaginibus?
 Quas omnes, has decollatas,
 Has manus, pedes truncatas,
 Tradiderunt ignibus.
 Hei quot sunt dirè tractati,
 Nec simpliciter mactati,
 Viri pientissimi:
 Sacerdotes non infulsi,
 Hei quot templis sunt expulsi,
 Ceu canes spurcissimi.
 Nihil dicam de rapinis,
 Quas sacrilegi diuinis,
 Vel ex aris auferunt:
 Nec de splendidis culinis,
 Nec dicam de concubinis,
 In quas rapta conferunt.
 Petri Cathedra ridetur,
 Nec illis pluris habetur,
 Quàm anilis fabula:
 Si quis contrà vult docere,
 Ac diuersum persuadere,
 Ducitur pro rabula.

Non

SOLITVDINIS.

Non agnoscunt sanctitatem,
 Nec ferunt autoritatem,
 Principis Ecclesiæ.
 Cuius constitutiones,
 Canones, & sanctiones,
 Exusserunt impiè.
 O beata Solitudo,
 O sola beatitudo,
 Pij Secessicolis!
 Quàm beati candidati,
 Qui ad te volant alati,
 Porro à Mundicolis!
 Libros sacros discerpserunt,
 Et picturas expunxerunt,
 Sacris cum Historiis:
 Sed & totum (ni vetantur)
 Christum tollere conantur,
 Nostris ex memoriis.
 O vos Christi perduelles,
 Orthodoxiæ rebelles,
 Antichristi milites:
 Quando tandem desistetis,
 Aut quando resipiscetis,
 Vos Orci satellites?

*Exclama-
 tio in Here-
 ticos.*

K 3

Sed

ENCOMIUM

Sed me piget propalare,
Publicè quæ perpetrare,
Istos nondum piguit:

Quos nec cælum defraudare,
Neque terram perturbare,
Hactenus non puduit.

Et adhuc libet cessare,
Et in annos protelare,
Vota tam feruentia?

Quæ te saga fascinavit,
Quæ vis mentem immutat
Quæ est hæc dementia?

*Apericulis
presentib.* Qui vult picem contrectare,
Se vult ipsum inquinare,
(Vt habet adagium)

Tu in medio luporum,
Habitan's Hæreticorum,
Non times contagium?

Fuge ne inficiaris,
Fuge ne his inuoluaris,
Tutas intra latebras:

Fuge pestes animarum,
Ne æternas furiarum
Incidas in tenebras.

O bea-

SOLITVDINIS.

O beata Solitudo,
O sola beatitudo,
Pijs Secefficolis!

Quàm beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porro à Mundicolis!

Phœnix Chronius feuerus,
Vir sibi multum austerus,
Dum Mundum effugeret:

Redeundi spem abegit,
Et à tergo pontes fregit,
Ne rursus aufugeret.

Quid cunctaris? quid excusas?
Quid caufaris? quid recusas?
O infelix anima.

An nescis quod tempus fluit?
Et præceps quod dies ruit?
Quod hora nouissima?

Nil est cur te ita turbes,
Felix est qui fugit vrbes:
Fuge, & beaberis:

Fuge, tace, & quiesce,
Carnis remoram compeſce,
In monte saluaberis,

*Ab exēplo
Chrony.*

*A temporis
brevitate.*

A felicitate

*Vox celestis
ad Arseniū
Senatorem
postea Mo-*

nachum.

ENCOMIUM

In turba stare illęsum,
Et tibi videre Iesum,
Valde est difficile:

Sed in sycomoro verę
Ipsum spiritu videre,
Admodum est facile.

At tu tristior hortantem,
Et gemens audis laudantem,
Huius vitę feriem:

Nempe aliam externam,
Hic fortassis vel internam,
Somniaſti requiem.

*A periculis
futuris.*

*Vtinā Mū-
di pompis
nunciū re-
miſſem.
Vtinam vi-
xiſſem Ere-
mita.*

*Exēpla ſunt
inſinita.*

Vt vis, ſed quum ægrotabis,
Iuſtis lachrymis damnabis,
Omnes Mundi infulas:

Et quum morti propinquabis,
Tunc, ſed ſerò prouocabis,
Ad beatas cellulas.

O beata Solitudo,
O ſola beatitudo,
Pijs Seceſſicolis!

Quam beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porro à Mundicolis!

CHRO-

CHRONICA HVIVS ENCOMI
CQNCLVSIO.

SANCTAE VITAE PRAXIN SCRIPSI
SPONTE QVAM SEQVNTVR IPSI
VERE SOLITARII.

SI OFFENDO NON SEQVENDO,
AVT SI ERRO DESCRIBENDO,
CEDO: PRAESTENT ALII.

LECTORI.

*Non hic diſpliceat Lector tibi carminis huius
Conſonus ꝛſque ſonus.
Sic Sanctus Thomas ſcripſit: ſic Victor Adamus;
Hymnographique Patres.*

VRBANI ET SOLITARII
COLLOQVIVM.

*Urbanus celebrem Monachum quum viſeret, atque
Attonitus frontemque hilarem, corpusque videret,
Ut prius infraſtum; verbis affatur amicis,
De multiſque rogat hominem (num pectore aperto,
An ficto incertum, niſi quod diſcederet illinc
Nondum perſuaſus tali ſe credere vitæ)
Quicquid id eſt, ſolido ſtantes in ceſſpite, tandem
Alternis breuiter vicibus, hæc ſeria tractant.
Et prior Urbanus, vegeto (inquit) corpore quum ſis,
Ecquid edis queſo? SOL. panem modicumque polentæ*

L

Atque



Atque olus interdum, tenui aut cum lacte legumen.
 Vrb. Hæc tibi solus habe: sed lasso porrige potum.
 Sol. Ecce tibi ante pedes puteus, quantumlibet hauri.
 Vrb. Num carnes comedis? sō. non sum lupus. VR. anne Corinthi
 Splendida vasa tibi? sō. Samiis incundius vtor.
 Vrb. Quis coquus est? sō. ignis. VR. famulus quis? sō. nolo alere
 hostem
 Ipse domi. VR. at famula saltem caruisse molestum.
 Sol. Tartareas habitat hominum aduersarius ades.
 Vrb. Uxorem sed habes? sō. non sic sum stultus ut Orpheus,
 Qui nigra, Eurydicen rapturus, limina adiuit.
 Vrb. Cur pulchras adeo & populosas deseris Vrbes?
 Sol. Cur Vrbes linguam? curas & tædia linquo,
 Effugio & scelerum Lernam, quæ semper in ipsis
 Urbibus & populis regnant, & noxia menti.
 Multa ferunt secum, quæ vita Monastica nescit.
 Vrb. Viuorum interea spernens confortia, quare
 In defunctorum scriptis tam sedulus heres?
 Sol. Quod minimum à viuis verbo exemploque bonorum
 Percipio, ex libris ut vix mala paucula carpo:
 Sic horum assiduus lætor bona plurima disco.
 Vrb. Maeste animo felix, sed me discedere tempus:
 Nauta vocat, mercator adest, qui mercibus vsque
 Atanai aduectis, multa prece sæpe vocatum
 Appulit in portum: viso num fœnora multa
 Adferat, aut vanis fallat mea scrinia spebus.
 Sol. Hei quàm difficile est locupletes relinquere Mundum,
 Et summa ætherei penetrare palatia regni!

MARTINVS DVNCANVS QVEMPENAS
 DELPHENSIVM PASTOR IN D.
 HIPPOLYTI.

QVIS sibi, quis sanus caput amputet ob cerebellum
 Affectum? vel quod cæcutiat alter ocellus?
 Quis prudens oleum omne recuset propter amurcam?
 Humanum genus omnipotens Deus haud viciorum
 Labe, sed ingenij est commensis nobilitate
 Se dare dignatus multo pro hoc sanguine fuso.
 Vitam igitur solam non quorundam improbitate
 Pensicules, rerum sed lance & pondere iusto,
 (Ni damnare velis, quæ sunt sita cuncta sub astris)
 Hanc quanti faciat Deus ipse vel inde patefcit,
 Quod solos rapuit duo Vates ad Paradisum
 Solam, ubi semper agant solo cum Numine soli,
 Omnibus exuti rebus mundi, & valedictis.
 Impius est, genus hoc vita qui vult abolere:
 Excindat potius, si quid subrepsit iniqui.
 Religione stet ordo sua, cadat omne quod ob sit.

L 2

COR-

CORNELII MVSII DELPHI

SACRORVM CARMINVM

SYLVVLA.

PSALMVS CXXVII.

Clarissimo Domino D. Cornelio Susio, Præsidi
Hollandiæ, eidemque Domino in Ryfvvyck,
Epithalamij vice.

BEATVS ille quisquis est,
Qui corde casto & integrè
Deum colens, rectissimas
Eius vias non deserit.

Non ille perdet improbo
Sudore quod peperit sibi,
Certò at fruetur dulcibus
Felix laborum fructibus.

Ut nexa vitis fraxino,
Latoque onusta palmitè
Fætus abunde plurimos
Cultoribus fundit suis:
Sic fida coniunx, vinculo
Coniuncta firmo quæ tibi est,
Reddet domum lætissimam,
Et te beabit filijs.

Qui, hortos oliuæ ut floridos
Cingunt nouella gratius
Adfabulantes suauiter,
Mensam coronabunt tuam.

Tantum

HYMNI

Tantum arbitrum ne negligas,
Rerumque factorem omnium,
Qui ter quater clarissimum
Cumulabit ætheris bonis.
Ubi te prius nepotibus
Hic plurimis ditauerit,
Quos tu videbis nobiles
Mores auorum vincere.
Tunc fas erit quiescere,
Et pace multa perfrui,
Quam nulla vis Tyrannica
Turbare, nec Satan queat.

HYMNI.

HYMNVS ANTELVCANVS.

CEDVNT tenebræ lumini,
Cedat malum virtutibus,
Placemus offensum Patrem,
Ex corde ductis lachrymis:
Mox lucis ad crepusculum
Rerum precemur arbitrum,
Ciris honestioribus
Ducamus ut totam diem.
Ut quum redit vicaria
Nox quæ quieti consulit,
Letemur ordinaria
Quòd sic dies decurrerit.

L 3

Græ

H Y M N I

L V C A N V S.

GRATES tibi quas possumus,
Lati Deus reponimus,
Somnum quod absque noxiis
Insomniis peregrimus.

Lux emicat clarissima,
Per quam nitescunt omnia,
Tu Christe tersis sordibus,
Praesta nitorem cordibus:

Ut sanctitati deditus,
Sanctè dies pertransseat,
Bonis simul conatibus
Finis bonus respondeat.

S V B M E R I D I A N V S.

V E N I benigne spiritus,
Emitte lumen calitus,
Et corda culpis obsita,
Scopis timoris expia.

Da gratiam petentibus,
Solatium mærentibus,
Domitoque mortis corpore,
Nos spiritu fac vivere.

Ut nil loquamur quàm Deum:
Nil cogitemus quàm Deum,
Nil expetamus quàm Deum,
Nil diligamus quàm Deum.

M E R I D I A N V S.

UT sol corusco lumine,

H Y M N I

Terræ capacem circulum,
Fllustrat, & vastissimam,
Serenat aureus plagam:

Sic & laborum insignium,
Lux publicè resplendeat,
Virtus item mortalibus,
Sic cæteris præluceat.

Non ut videntes laudibus
Nos luculentis efferant,
Sed integram quo gloriam,
Patrem in supremum transferant.

P O M E R I D I A N V S.

R E B V S creatis vltimum
Cunctis Creator terminum
Qui ponis, & nascentia
Semel iubes occumbere:

Te supplices deposcimus,
Futura qui non nouimus,
Audi preces, quas ocyus
Labente sole fundimus.

Ut quum dies vel nox venit,
Suprema nostri temporis,
Curis solutos, gaudiis
Nos afferas caelestibus.

V E S P E R T I N V S.

H O R A S dii lucidas
Caligo pellit irruens,

HYMNI

*Dies amœnus occidit,
Nox inuicem tristis redit:
Sic conditor, sic cognitor
Rerum vicissitudines
Disponis, & iubes suæ
Opus quieti cedere.
Te nos alacres, quæsumus,
Ut nobis à somno breui
Reddas resumptis viribus
Felicibus laboribus.*

NOCTURNVS.

*VIGILATE Christi milites,
Et arma lucis sumite,
Non hæc soporem tempora,
Sed dura poscunt prælia.
Satan furens obambulat,
Et despicit quem deuoret;
Cautè cui resistite
Immobili fortes fide.
Estote pulchrè sobrij,
Orate semper seduli,
Durate: post certamina
Cæli sequetur gloria.*

EVGIENDVM IMPROBORVM HOMINVM
CONSORTIVM.

AD Iacobum Sanctaragundum.

*Si vides hæc qua ratione scribo
(Non enim paruis Iacobe causis
Ducor, ut cui sit tua vita iuxta
Ac mea curæ)
Non feres agrè, puto, si monebo
Pauca, quæ toto (neque fallar) æuo
Proderunt seruata tibi, mihi que
Scripta placebunt.
Vidimus multos vitis sepultos
Tandem amicorum monitis reuixit,
Quæ nisi audissent, vel adhuc malorum in
Face iacerent.
Non nigro quòd sis scelere inquinatus
Hactenus, sed ne vitare, mollis
Prurit hinc quando caro, quumque Dæmon
Hinc vaser vrget.
Quumque corrupti socij suos te
Callidè in mores trahere adlaborent,
Hicque te Bacchi, velit hic Diones
Esse clientem.
Sponte nos omne in vitium mouemur,
Nulli ut accedant scelerum magistri,
Desipit quicumque oleum flagranti
Adiicit igni.*

HYMNI.

Noxium nil est magis ac sodales
 Improbi, multi hoc pereunt veneno:
 Hos fuge, aut seris senior querelis,
 Multa dolebis.

Ut qui equum amisit, nimis ille serò
 Doctus, occluso stabulo ingemiscit:
 Frustra & ereptum lachrymis puella
 Querit honorem.

Non es è duro rigidus metallo,
 Rege nec magno es Solomone maior.
 Crede, perfectis etiam nocent con-
 sortia prava.

Nemini tutum est colubros fouere,
 Nec pedem illasum facile est referre,
 Asperas sentes, tribulosque acutos
 Inter euntem.

Quis picem certa sine labe tangit?
 Quis sinu flammam gerit haud adusta
 Veste? vel saluo pede quis valebit
 Tangere prunas?

Qui periculo adstat, perit in periculo:
 Unius porci scabie occidit grex:
 Unaque aspecta modo putrefacta,
 Putret ab una.

Quin Deus gentes habitare iuxta
 Abrahæ electos vetuit nepotes,
 Iussit & nunquam socia inter ipsas,
 Fœdera pangant.

HYMNI

Nempe ne misti imbiberent prophanos
 Gentium ritus, & abominandum
 Discerent lignum colere, aut rogare
 Marmora surda.

Tantum habet iusta rationis, atque
 Interest tantum, quibus & quibus cum
 Cereus viuas, neque debet esse hæc
 Ultima cura.

Utilis non sic regio, nec aër,
 Corpori prodest adeo salubris,
 Quàm parum firmis animis bonorum,
 Crebrior usus.

Proinde te vitæ populis probata
 Iunge, qui Christi faciant ministrum,
 Et via angusta doceant ad altos
 Scandere celos.

Negligis? certè (veteres quod aiunt,
 Cum pares viuunt paribus libenter)
 Esse te nequam quoque dicet orbi,
 Garrula fama.

Cum malis passim malus esse rectè,
 Cum bonis viuens bonus aestimatur,
 Ne nihil referre putes, quid olim
 Turba loquetur.

Disce quàm vita est fragilis breuisque:
 Ille nunc, nunc hic moritur, die hoc tu,
 Cras ego, & tandem hac ratione Letho
 Dedimur omnes.

HYMNI.

*Haud secus quàm si lanius modò illas,
Has modò educat pecudes, ouile,
Omnibus donec semel interemptis,
Reddat inane.*

*Nec tibi tanti Priami superba
Regia, aut Cræsi fuerint fluenta
Aurea, ut mutare velis caducis
Sidera rebus.*

*Nempe quid vastus tibi prosit orbis,
Ultimis à Gadibus usque ad Indos,
Si tua æternos anima heu misella
Ibit in ignes?*

AD CHRISTVM PASSVM
CONFESSIO.

*Ad te reuertor optime,
O Christe tu me suscipe,
Si suscipis ne desere,
Ad te reuertor ô pie.*

*Pudet quod ista vulnere,
Specto & coronam spineam,
Causaque quod video mea,
Tam dira te passum mala.*

*Ego ista fodi vulnere,
Ego coronam hanc in sacrum
Crudelis impressi caput,
Ego coëgi te in crucem.
Sed quanta quanta charitas!*

Et que

HYMNI.

*Et que tua est clementia?
Peccaui ego, tu debita
Pro me necis poenam luis.
Hostis fui, tu filium
Me per crucem facis tuam:
Seruus fui, tu liberum
Cruore me asseris tuo.
Age quid tua pro gratia
Tanta rependet Musius,
Inops miserque Musius,
Peccator usque pertinax?
Qui nil boni ingratus facit,
Indignus affatu tuo,
Indignus aspectu tuo,
Indignus hanc terram ut terat.
O si semel concesseris,
Amore ut ardeam tui,
Vitam lubens tum impendero
(Nam cuncta debeo) tibi.*

AD CHRISTVM CRUCIFIXVM
LACHRYMAE.

*Quis lachrymarum perpeti
Rigabit ora flumine,
Nocte ut fleam, luce ut fleam,
Tam grande & indignum nefas,
Quodque impius feci malum,
Infandum, inauditum malum.*

M 3

Tu

H Y M N I.

*Tu tu innocens pendes cruce hæc,
O Chrifte, culpa ista est mea,
Debebam ego hæc opprobria,
Crucemque iure noxios
Inter latrones perpeti,
Nisi charitas faceret tua.*

*Quis lachrymarum perpeti
Rigabit ora flumine,
Nocte vt fleam, luce vt fleam,
Tam grande & indignum nefas,
Quodque impius feci malum,
Infandum inauditum malum?*

A D E V N D E M

C V L P A E D E P R E C A T I O.

*TE ne innocentem promea,
O Chrifte, culpa tam graue
Opprobrium crucis pati?*

*Agnosco culpam, gratiam,
(Quod proprium semper tibi).
Culpam fatenti ne neges:*

*Hoc Musæus Cornelius,
Supplex tuus Cornelius,
Prostratus ad tuos pedes.*

*Crucis per indignam necem,
Te obsecro, culpam ne imputa,
Sed tolle quicquid est mali.*

H Y M N I.

A D C H R I S T V M R E D E M P T O R E M.

T A N D E M Redemptor inferos

*Adis, tuosque tetricis
Populos tenebris abditos
Reddis sereno lumini,*

Camposque ad Elysias vocas.

*Id quod Patrum fecit fides,
Virtusque, & ingens gratia,
Tua singularis gratia,*

*Qua gratis ingratiſſimum
Complecteris nostrum genus.*

A D C H R I S T V M R E S V R G E N T E M.

R E S V R G E victor Tartari,

*Domitorque demonum potens,
Resurge Chrifte, nempe enim
Sic spem resurgendi quoque
Credientibus certam facis.*

*Et quid vel improbiſſimus,
Profit labor mortalibus,
Nisi vita posthac altera,
Meliorque restet mortuis,
Tantisque defunctis malis?*

A D V I R G I N E M M A T R E M S V B S A-

C R O S A N C T A M C O M M V N I O -

N E M S V P P L I C A T I O P R O N -

*AD sacram esuriens quoties accedo Synaxim,
Indignus cassa pellerè glannde famem,*

H Y M N I.

Hei quantum timeo, quam exhorreo, quamque tremisco,
 Discutiens qualem sumere posco cibum!
 Quem tamen ut summum munus venerorque, coloque
 Indignum est minimo munere me video.
 Peccatis adeo supremo à vertice, ad imos
 Usque pedes scateo, computreoque miser:
 Nec scio qua dignus fiam ratione, modoque,
 Tu nisi pro indigno Virgo parensque roges.
 Tu Regina poli, paradisi porta vocaris:
 Atque beatorum spirituum Domina,
 Confugium miseris, sacra anchora, portus, asylum
 Mater & alma Dei, filia & alma Dei:
 Cui Pater & talis Natus non vlla negabit,
 Et si etiam fuerint ardua vota nimis.
 Ad te igitur fidens venio ter maxima Diua:
 Auxilium & supplex subsidiumque peto.
 Ut dignè valeam caelestem frangere panem,
 Atque meo fructum corde fouere tuum.
 Sum sanè indignus (fateor semperque fatebor)
 Ut donis potiar muneribusque sacris.
 Tu benedicta tamen super omnes Virgo puellas,
 Digna habita es summum gignere sola Deum.
 Te mediatricem tantum, sistasque patronam:
 Et fiam dignus qui malè dignus eram.
 Nam licet offendi numeroso crimine Natum,
 Inferni pœnas commeruique graues;
 Tu Natum placare potes, tu flectere Natum,

Quem

Quem prouum & precibus scis facilem est tuis.
 Heu me infelicem, si sacro corpore Nati,
 Et sacro Nati sanguine destituor.
 Aut si non dignè sacram delibo Synaxim,
 Iudicium comedens, iudicium que bibens.
 Quod mihi si irato contingat numine, nunquam
 Vixisse praestet, vel perisse statim.
 At sperem per te meliora, o candida Virgo,
 Si natum expositum, si placidumque dabis.
 Si satages durus ne quid mihi scrupulus obsit,
 Quod sacra hæc nulli est mensa parata cani.
 Sum canis indignus prorsum, cur vera tacebo?
 Sum canis infidus, mutus, ineptus, iners.
 Verùm non totum quero consumere panem,
 Una mihi fuerit paruula mica satis.
 Nec totum quero sitiens absumere vinum,
 Vna satis fuerit gutta rubella mihi.
 Hanc Natus saltem, Mater, ne deneget ora:
 Ne pereamque siti, ne pereamque fame.
 Et quantum hoc Nato est seu magnum seu dare paruum:
 Omnia qui verbo condit alitque potens?
 Sed iuuat indignum multum me & saepe fateri,
 Si fortè indignos Natus amare velit.
 Qui non indignum frustra descendit in orbem,
 Nec solum dignas querere venit oues:
 Sed magis indignis se peccatoribus esse
 Missum, veriloquo protulit ore suo.

N

Qualis

Qualis ego imprimis, somno corruptus inerti,
Et mundi blandis perditus illecebris:
Qui si quando vocer clementi à numine, iussus
Illice de lecto surgere continuo,
Sponte obsurdesco, plumaſque relinquere sperno,
Affixus vitis sicut hi rudo meis.
Peccatum longa namque assuetudine traxi,
Funiculi ut plaustrum loraque densa trabunt.
Unde adeo feruens letalia crimina ſector,
Perpetuo & sordes ſic amo, ſic itero:
Ut cupidè vomitum repetit canis atque reſorbet,
Utque volutabrum ſus amat vda ſuum.
Sæpe etiam memini me ſic peccata bibiſſe,
Ut ſi quis gelidam potet anhelus aquam.
Hactenus hoc dolor, inuerſo vita ordine ducta eſt,
Et mala ſunt multis accumulata malis.
Quin etiam à tergo pulchra virtute relicta,
Sic tota in vitis vita peracta mihi eſt,
Ac ſi æquus vindex nullus iudexue ſuperſit,
Qui pœnas reddat ſuppliciumque reis.
Illorum ſed enim ſcelerum veterumque malorum,
Ex animo tandem panitet atque pudet.
Et quem non ſiliquas pigeat glandeſque voraſſe,
Qui puro ventrem pane replere queat?
Sic tamen aſſueto, Mater, vitisſque ligato,
Quæ mihi ſurgendi ſpes reliqua eſſe poteſt:
Vincula ni fortis duriffima ſoluere Natus,

Recca-

Peccati & nodos explicuiſſe velit.
Ipſe etenim eſt cunctis ſpes certa & ſola miſellis,
Ipſe eſt conuerſis gloria, vita, ſalus.
Ipſe homines propter caſtam eſt delapſus in aluum,
Teque eſt perpetua ex Virgine factus homo.
Ergo ibo ad Natum, placidum Natum, atque benignum;
Procumbam & ſanctos illius ante pedes.
Dicam me grauiter, dicam peccaſſe frequenter
In calum, inque omnes clamque palamque homines.
Imo te orabo Mater, ſi fortè recuſet,
Aſpicere hunc vetulum putidulumque canem:
Ut tu interuenias pro me, gratiffima ſemper,
Natum ſiue velis ſiue rogare Patrem.
Et peccatorem (quo non inſignior alter)
Inſinues votis concilieſque tuis.
Quo liber vitis omnique a crimine purus,
Et Nato gratus, gratus & uſque tibi
Utiliter viuum poſſim depaſcere corpus,
Et viuo ipſius ſanguine rite frui.
Quod mihi ſi faueat Natus præſtetque benignè,
Semper ſi que velit dexter ad eſſe mihi:
O Maria o Virgo Mater, vetera omnia pono,
Atque homo purgato pectore ſio nonus.

N. 2. AD

AD EANDEM VIRGINEM ET MATREM,
A SACRO SANCTA COMMVNIONE,
GRATIARVM ACTIO, PRO EODEM.

GRATIA magna tibi Virgo, charissima Virgo,
Per, mihi, quam misero gratia magna data est.
Indignus fueram mysteria sacra videre,
Tu facis vt videam, tu facis vt que fruar.
Quàm tu grata Deo, quàm tu mihi Virgo benigna est.
Quæ plus impetras quàm petere ausus eram.
Hoc fuit in votis, vt micam panis, & unam
Ut vini guttam parciter acciperem.
Sed largus toto Natus me corpore pauit,
Et toto impleuit sanguine, Virgo Parens.
Quàm bene credideram, quòd nil tibi Filius vnquàm
Denegat! & precibus quod fauet vsque tuis!
Quo magis audebo te iterum multumque precari,
Ut facilem Natum denuo sollicites.
Illius vt gustum panis, vini que saporem,
Assiduum faciat perpetuumque mihi.
Sic etenim fiet, ne vnquàm gustare libescat
Culparum insipidas letiferasque dapes.
Sic quàm diuinum sapiet nil, nilque placebit,
Deliciasque sacras præter amabo nihil.

OTIUM:

OTIUM FUGIENDVM.
AD Balduinum suum.
OTIO qui se dederint inertis,
Nec bonis mentem studiis honestant
Semper, ignauum fugiente pectus,
Laude carebunt.
Non pigri sunt asini celebres,
Laurea & non desidibus corona
Vlla contingit, decus à labore,
Surgit honosque.
Hinc Maro clarus, Lyricusque Flaccus,
Clarus & Flacco similis Secundus,
Qui viri, obscurum, resides fuissent,
Nomen haberent.
Herculem quæ res alia axe dignum,
Quàm labor fecit? caput at quid orbis
Perdidit, magnam vitiosa præter
Otia Romam?
Namque deuictis violenter Aphris,
Romuli pubes malè feriata,
In statim quoduis scelus, in nefasque
Soluitur omne.
Quin ferunt moles Pharios superbas
Condere hic illic solitos, vaga vt ne
Otio, in Regno bene constituto,
Turba periret.
Quod velim exemplum quoque Christianos,

N. 3:

Tam

Tam sequi nostros, mihi quàm videtur,
Publicis illud fore perdecorum, &

Vtile rebus.

Non vt altas Pyramides (quod illi)
Commodas nulli, Rhodium aut Colossum,
Perdita impensa fabricentur, atque ad

Sidera ducant.

Templa sed sacris populo audiendis,
Et scholas condant pueris docendis,
Strenuè aut Vallis ruitura densis,

Oppida firment.

Nempe sic fiet facile vt ne egenus
Ciuium quisquam fiet, vtque nemo
Sordido sese temere otiosus

Crimine scædet.

Nam quid in molles Sodomos amores
Improbos traxit, nisi segne mentis
Otium, & nullos manus assüeta

Ferre labores.

Attalum regem diuturna pax &
Otium fregit, hominemque obesum
Alteri iussit onus imperique

Cedere sceptrum.

Otium certè mala multa gignit,
Otium nutrit Venerem aleamque,
Otium robur minuit virumque ef-

feminat artus.

Dum

Dum virent ergo tibi crura Balde,
Dum cales, velis & equis (vt aiunt)
Otium fontem fugies malorum,

Consule amico.

Teque Formicis ducibus labori
Gnauus accinges, ad Apumque morem,
Non fines multa sine fruge vt vna

Effluat hora.

Hoc enim in primis opus est volenti
Scandere excelsa auricomæ Mineruæ
Templa, & optanti celebres per vrbes

Nobile nomen.

QVID ETIAM IN VERO DOMINICAE
CRUCIS LIGNO ADORANDVM SIT.

Qui venerabundus lignum vitale salutas,
Credis & hanc veram particulam esse Crucis:

Mitte novos hostes vulgi, & si quis fuit error,
Concepta hic quoties fundere vota paras.

Nec simplex, lignum, lecta licet arbore natum,
Ceum summum summo numen honore colas:

Sed ligno affixum quondam prostratus adora,
Sintque huc intenti mens oculique tui.

Sic animi demum vota impetrabis, & ipsi
Vtiliter figes oscula pura Cruci.

AD

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM

D. Maximilianum a Borgundia, Marchionem Veriensem &c.

VITA BEATA.

VERE quæ faciunt virum beatum. Matth. 5

(Christo credere si magis velimus,
Illis quàm nimis ethnicis Poëtis)
Illustrissime Maxmiane sunt hæc:
Mens non ambitiosa, sed modesta,
Nec fracta improbitatibus malorum,
Admissi sceleris dolor perennis,
Ardens esuries sitiisque reëti,
Fratris commiseratio indigentis,
Cordis mundicies, cupido Pacis,
Propter iustitiam pati libenter.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO

Patriac D. D. V. Vilhelmo Lindano, Episcopo
Ruremundensi.

ALMÆ cui Concordia

Psalmus dicabitur? tibi
Lindane Præsulo optime,
Qui Charitatis candida,
Cultorque pacis sedulus,
(Veri quod est Antistitis)
Nihil prius Concordia,
Nil pace pulchrius putas,

PSAL-

PSALMVSC XXXIII.

O QUAM bona est pax! mutua

Quàm dulcis ipsa Charitas!
Non balsamum suavius,
Spiravit electissimum,
Quando ille Aaron ungitur,
Pedes ad usque à vertice.

Nec utilis ros est magis,
Qui Hermonis cadens iugis,
Agros Sionis aridos,
Rigat facitque fertiles.

Nempe hic ubi Concordia est,
Ubi viget dilectio,
Ibi Pater ditissimam
Fundet bonorum copiam,
Vitamque perpetem dabit.

EXIMIO S. THEOLOGIAE PROFES-

fori, eidemque Decano Louanienfi D. Ruaro
Tapperio Enchufiano.

SI quæris quid agam rei Ruarde,
Ingens Θεολογῶν decus Ruarde,
En qui simpliciter tibi loquetur,
Psalmus Hexametris novis ligatus,
Ire qui pede libero solebat,
Et (quod fortè magis novum videtur)
Qui vinētus quoque nunc abire gestit,
Et lucem tenebras perosus optat,

O

Nil

Nil unguis metuens se ueriorum,
Si esset iudicio prius probatus,
Et pulchrè saperet tuo palato,
Non quòd sic meritis putabit amplis,
Et fecisse tuo satis fauori,
Immensò nimium tuo fauori,
Si prodit propriè tibi dicatus,
Sed tui memorem cupit, suoque
Pro gratum modulo docere Delphum,
Qui quòdcunque potest libenter offert:
Nam quamuis habitem procul remotus
A te magnifico meo Patrono,
Usque & usque tamen tui recordor,
Observoque coloque diligoque:
Sat felix studium pie Mineruæ,
Pio si poterit viro placere.

PSALMVS CXLV.

QVI. cursus celi, terraque immobile pondus,
Et mare fluctuagum, genus inque iis omne animantium,
Pro nut u. iussuque tuo Rex. maxime regum,
Ac immense Deus moderaris, continue te,
Te dicam, te laude ueham, nomenque decusque,
Non hodie tantum, nec dum lux altera surget:
Verum perpetuo quod nunquam finiet æuo,
Et seclis cunctis, & si quid tenditur ultra,
Cantibus integro promptis ex pectore tollam.
Omnia magnarum Dominus præconia rerum.

Opti-

Optimus exuperat, neque enim ter maximus ullum
Suscipit ille modum, sed quantum extenditur orbis,
Inter & occasus Phæbos inter & ortus,
Ultima seu cæli quantum sua brachia tendunt,
Tantum ille immensus complectitur, occupat, ambit,
Et tantum latè imperitans dominansque gubernat:
Hactenus ut nemo fuerit, nemoque futuro
Tempore tantus erit, qui vestigare ualebit,
Aut infinitum poterit comprehendere numen.
At genus omne hominum tua facta amplissima dicet,
Atque in perpetuas operum præclara tuorum,
Progenies signa extendet, viresque potentes
In vulgus populosque palam gens altera sparget:
Quin & magnificos ego Maiestatis honores,
Et res insignes memorandaque sedulus acta,
Omnibus in templis, domibus, plateisque, theatrisque
Eloquar, & nunquam miracula tanta silebo.
Tu mihi principium, si quid faciamque loquar que,
Tu medium, tu finis eris, tu semper in ore
Inque oculis semper, semperque in corde manebis,
Hærebisque meo: tua sancta in limine pingam
Gesta domus, in fronte geram, quæcunque iubebis,
In manibusque meis, nulla ut me obliuio reſti,
Vel breuis inuadat: Verum fortuna secunda,
Siue aduersa mihi obtigerit, gratissimus usque
Præstabo, & memori benefacta insignia mente
Enumerans, semper grates laudesque decenter

O 2

De-

Decantabo tuas, donec spirare licebit.

Utque aliis alij iunctissima robora narrent,
Tu quibus & reges terras & diruis vrbes,
Augustos omnes titulos, variosque triumphos
Ipse tuos scriptis ad postera secula mittam:
Nimirum summi vires ut numinis amplis
Spectantes, plenis celebrent tua nomina labris,
Iustitiamque tuam modulato pectine cantent.
Est clemens plane Dominus, planeque benignus,
Longanimis, patiens, & iustum lentus ad iram,
Utque malo ignoscat mirè propensus in omnes.

An non ipsius bonitas per cuncta suorum ex-
empli operum clare in dictis factisque relucet?
Hinc omnes opera illa canent, imo undique passim,
Præcipue sancti, quibus est tua gloria cura,
Te Dominum agnoscent, & grato carmine psallent:
Et quod magnificè regnas, quodque aethera solus
Feceris & terras, sublata voce loquentur:
Nec temere id facient, verùm ut lauderis vbique,
Atque ut posteritas omnis cognoscat Adicæ,
Omnipotens quod sis terræ & regnator Olympi.

Regna humana cadunt, pereunt reges populi que;
At regnum imperiumque tuum durabit in ævum,
Stabit & aeternum nulli violanda potestas.
Nutantes fulcit Dominus, lapsosque potenter
Erigit, & recto depressos corpore sistit.
Omnes in te oculos conuertunt, atque cibum te

Quisque suum, certo quem præbes tempore, poscunt:
Tu siquidem dextram apperens animalia diues
Omnia, seu terras habitent seu flumine viuant,
Seu per inane volent & pulsent verberare calum,
Respicias obseruans, & victu pascis abunde.
Omnibus in rebus Dominus verbisque cuiusque,
Est æquus, sancteque facit, iustumque tuetur,
Annuit & votis fido de pectore fufis,
Et desiderium fuerit quodcunque piorum,
(Qui vel ritè petunt, vel qui constanter adorant)
Audit, & adimplet subito, certamque salutem
Exhibet, & nullis permittit rebus egere:
Adde & sollicitè quod se tueatur amantes.

Sed veluti stipulas turbo impetuofus inanes
Tollit, & ad tenues compellit fulminis auras,
Sic Deus iratus cunctos subuertet iniquos,
Iustitiæque inopes aeternum trudet in ignem,
Nulla ubi spes, habitant & ubi solatia nulla,
Nulla quies, semper gemitus, semperque dolores.

Grato ergo ore loquar Dominum noctuque diuque,
Quandoquidem & iustum est, ut quicquid viuit vbiuis,
In Domino fidat, sanctumque & amabile nomen
Filius aeternum, vel si quid longius usquam est,
Prædicet, & toto memorandum reddat in orbe.

IN D. VVILLIBRORDVM ARCHIE-
PISCOPVM TRAIECTENSEM,
HYMNVS.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO
Patri ac D.D. Antonio Houæo, Monasterij D. VVillibror-
di Heptinaccienfis Abbati, Sacriq̄ue Imperij Principi;

GRATVLATIONIS ERGO.

TE VVillibrordum Præsulem
Adeoq̄ue nostrum Apostolum,
Cantamus hymnis symmetris
Et spiritualibus modis.

Tu sanguinis prosapia,
Pia licet, renuntians,
Procul omnium consortio,
In Solitudinem migras.

Hic viuis integerrimè
Iustè, pieq̄ue & sobriè,
Hic liberè colis Deum,
Securus à contagiis.

Sed euocatus cælitus,
Ad præsulatus ordinem,
Iusto talenti pro modo,
Multa vt referres fœnora.

Verbi sacri fidem sacram
Tu tradidisti gentibus,
Et primus hic lætissimos
Christo parasti milites.

At

At nunc dolor, quàm plurimi
Tua abnegantes dogmata,
Labuntur à prisca fide,
In Heresis delirium.

Quam VVillibrorde feruido
Nisi precatu sopias,
Actum tua de Frisia,
Actumq̄ue de Batavia est.

Quod ne accidat, te sedulis,
Qui firmi adhuc consistimus,
Votis rogamus, optime,
O Præsulò Apostole.

IN D. AGATHAM VIRGINEM ET

Martyrem Cantiuncula quædam similis illi cuius
initium, Lauda Sion Saluatorem &c.

CELEBREMVS sapientis
Cataneæ & prudentis,
Virginis victoriam:

Quæ crudelis Quintiani,
Præsidis Siciliani,
Domuit ferociam.

Hic in Bonam deperibat,
Et tantum non insanibat,
Propter formæ gratiam:

Et ne voto frustraretur,
Sed vt certo potiretur,
Vocat Aphrodisiam.

Lena

Lena variis tentellam
Artibus tentat puellam,
Inexpertam scilicet:

Jam ex passis velis adoritur,
Iam contractis cauta aggreditur,
Ut fallat videlicet.

Postquam suas egit partes,
Post consumptas omnes artes,
Nil mouit immobilem.

Prius cautes conteras,
Quam in petra transferas
Christianam stabilem.

Mens enim fide fundata,
Et in Christo solidata,
Nulli potest cedere:

Est Tyrannus frustra ferus,
Et frustra cupit seuerus,
Deo nixam flectere.

Judex spretus ut honoret
Vult idola & adoret

Virgo, absurdissima:

Quod dum grauius excusat,
Et ingenuè recusat,
Mimitatur vltima.

Diua minis nil turbatur,
Nec tormentis consternatur,
Sed ridens demeritam:

Ipsium

Ipsium contra se opponit,
Et sibi constans proponit,
Numinis presentiam.

Si equuleos parabis,
Si mamillas amputabis,

Hilaris aspiciam:

Sed & flammam imminentes,
Et leones irruentes
Haud tristis excipiam.

Erras autem laniando,

Si queris & concremando,

Frangere Christicolam:

Nam quo fortius torquebis,
Fortem magis promouebis,
Et reddes Calicolam.

Posthac Agathe beata,

Noua luce illustrata,

Quum multis esset probata,

Igne, ferro, verberere:

Se Deo supplex commendat,
Ut sponsus sponsam attendat,
Anhelamque apprehendat,
Et ducat ex carcere.

Christe cuncta qui finxisti,

Et me semper custodisti,

Qui constantiam dedisti,

In tanta angustia.

P

Jube

*Fube spiritum afflictum,
 Sed infractum & invictum,
 Ad superna benedictum
 Peruenire gaudia.
 Vix petiuit, vix finiuit,
 Ecce vidit quod cupiuit;
 Non obiuit, sed abiuit,
 Mens cum Superis iam uiuit
 In caelesti regia.
 Underidet Quintianos,
 Decios & Decianos,
 In constantes Christianos
 Frustra sauos & insanos,
 Jubilans in gloria.*

D. SIM-

D. SIMPLICIANI
MARTYRIVM.

*ERGONEfando
 Simplicianus
 Occidit igne?
 Et fora multo
 Corporis vsti
 Puluere sparsit?
 Quae, rogo, tanta aut
 Quot mala simplex
 Ille peregit:
 Quod miser arcto
 Guttare fumos
 Hauferit atros?
 Anne veneni
 Pocula cuiquam
 Miscuit atra?
 Imo prius ter
 Letifero ipse ex
 Fonte bibisset.
 Inuidus an quens
 Insidiosa
 Cade peremit?
 Mitis in omnes,
 Nulla malignè
 Corpora tangit.
 Sed male auarus*

*Multa alienas
 Virapuit res.
 Res cui parua
 Sufficit, is nil
 Amplius optat.
 Ast ego rursus
 Fanda nefanda
 Querere cogor.
 Quod genus ille
 Criminis audax
 Tale patrauit;
 Quod nisi solo
 Debit atrox
 Igne piari?
 Sceptra ne factò
 Improbiore
 Regia laesit?
 Nil opus illi
 Imperio, qui
 Paruit vltro.
 An patria exul
 Mœnia sauo
 Prodidit hosti?
 Pacis amator
 Odit acerbè*

Seminarixę.

*Impius atqui
Forte parentes
Sustulit ense.
Gratus utrumque
Ultima ad usque
Funera pavit.
Denuo clamem,
Ni prope fracta
Voce fatiger.
Nube ne tanta
Flagitiorum
Vixit opertus:
Dignus ut esset
Tam sceleratas
Pendere pœnas?
Quid precor, egit
Simplicianus,
Aut quid omisit?
Horrida nunquid
Est Sodomorum
Stupra secutus?
Imo vel ipsa,
Eæda pudicus,
Nomina fugit.
Num simulachris
Dæmoniorum*

Thure litavit?

*Non mage quisquam
Numina falsa
Horruit unquam.
Nunquid auita
Religionis
Dogmata spreuit?
Ast ea nemo
Liberiore
Protulit ore.
At noua forsans
Luciferorum in-
uenta probauit.
Illa probauit?
Quin cane peius
Odit & angue.
Desino tandem
Plura rogare, &
Dicere plura:
Quum modo causa
Tota patenter
Clara videtur.
Ille etenim si
Talia nunquam
Fecerit insons:
Hoc superest, quod
Iustus iniquis*

Ignibus

Ignibus arsit.

*Quod, puta, vera
Est pietatis
Verba professus.
Quodque ea constans,
Corde manuque ex-
ercuit usque.
Quod mala nullis,
Quod bona multis,
Plurima fecit.
Hoc capitale,
Hoc scelus illud,
Igne piandum.
Ergo nefando*

*Simplicianus
Occidit igne?*

*Et fora sacro
Corporis usi
Pulvere sparsit?
O bene natum,
Terque beatum
Simplicianum!
Qui pia propter
Dogmata Christi,
Igne crematus:
Æthera calcat,
Dira Tyranni
Fulmina ridens.*

IN D. VERONAM VIRGINEM, PRO STE-
PHANO CORONO VILLICQ
TILETANO.

VERONA charior mihi
Gazis potentis Aprica,
Vel quas Tagus vel India
Fluenta fulua continent.
Tu sola plurimas mei
Curas bibaces sanguinis,
Curas edaces pectoris,
Auertis & fugas procul.
Quod non beati Lydij,

Non Crassi opes nec Attali
Possint, nec herba qualibet,
Nec docta Apollinis manus.

O debeo quantum tibi,
Verona candidissima,
Verona verè bellula,
Verona Veronillula.

Sint qui febres iuxta tuum
Ponant sepulchrum torridas.
De fonte sint qui limpido,
Scabiem bibentes abluant.

Multo amplius præstas mihi,
Mentis dolores anxios,
Curasque quum tollis graues,
Et vana tot phantasmata.

Meam quietem enormiter
Quæ nocte turbant & die,
Huiusque vitæ plurima
Quæ sæpe gignunt tædia.

Sed quid tuus clientulus,
Angusti agelli Villicus,
Hoc pro repondet munere?
Quas reddet olim gratias?

Certè reuiset crebrius,
Quando amplius nihil queat,
Numenque tantum predicans,
Te flore vestiet pio.

RE.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO

Patri ac D. D. Nicolao à Noua terra, Episcopo Harle-
mensi, ac Prælato Hæcmundenfi.

NE te, Harlemorum prime atque grauiissime Præsul,
Præteream, hunc Psalmum dono dicoque tibi.
Qui Domino reddens, bona propter pasqua, grates,
Si non sit numeris, est pietate grauis.

PSALMVS XXII.

DOMINVS me potens regit,
Diues pascit, bonus tegit,
Valeat inopia:

Adsunt colles herbis læti,
Adsunt agri fruge fæti,
Adest fontis copia.

His suauiter affectus,
Et abundè his refectus,
Excolo iustitiam:

Cuius callem per angustum
Tu me Numen ducis iustum,
Tuam propter gloriam.

Vnde nec mortis tenebras,
Nec tetras Orci latebras,
Te præsentem timeo:

Trifidus insurgat Mundus,
Si tu adsis, lætabundus,
Ille susque transeo.

Tua nam virga correctrix,

Huius

*Huius & Vita directrix,
Vacillantem surrigit:*

*Sed & baculus grauatum
Fulcit, & me desperatum,
In spem firmam erigit.*

*Mensam mihi apparasti,
Cenam magnam adornasti,
Regiis delitiis:*

*Affatim qua satiatus,
Nulli cedam irritatus,
Liber ab iniuriis.*

*Sic exhaustos post labores,
Post multos demum sudores,
Post aquam tristitiae:*

*Caput oleo ungetur,
Et os pleno proluetur
Calice letitiae.*

*Sic directus te regente,
Et seruatus te fauente,*

Animo & corpore:

*Tuam Regiam videbo,
Teque felix possidebo,
Æuiterno tempore.*

CI-

CICONIA DELPHICA

SIVE

Pietatis parentum in liberos typus.

AD IODOCVM HENRICVM

AEDITVVM.

CLARVM *Batauiæ oppidum,*

*Quum forte Delphos, nobile,
Incendium prosterneret,
Non cæna quantum proximis
Vidit vetustas seculis;
Res tunc stupenda & omnium,
Iodoce Vatum & Rhetorum,
Vulganda linguis accidit.*

*Nam quum domorum culmina
Turresque templorum aditas,
Flammæ vorarent stridulae:
Ecce hic timebat prolibus
Tenerrimis, inuestibus,
Tristis parens Ciconia:*

*Nec quid misella conferat
In summo opis periculo
Habebat, aerium tamen
Teetis in Heuteri arduis
Nidum petit, circumuolat,
Omnesque pertentat vias;
Nunc ore, curuo nunc pede, ex-
emisse charos impio*

2

Pullos

Pullos volens incendio,
Donec piis conatibus,
Frustrata, speque perdita,
Se sponte in ignem coniicit,
Cum dulcibus natis suis,
Malens honestè commori,
Quàm non pia esse & vivere.

Jam Græca sit vel Itala,
Sic quæ in parentes est pia,
Hæc Delphica est Ciconia.

CICONIA PEREGRINA

SIVE

Pietatis liberorum in parentes typus.

AD LAMBERTVM GVILIEL-

MVM PASTOREM.

INSIGNITER quondam pia

Mater suos Ciconia

Pullos tenellos educat,

Curat, fouetque sedulo.

• Idem sibi expectans seni,

Ac destituta viribus,

A prole grandiuscula,

Dulce inuicem solatium.

Nec fallitur spebus suis,

Nam membra proles languida,

Parentis ecce debilis,

Suis lacertis sustinet,

Atque

Atque ore porrigit cibos.

Romana an hæc Ciconia,

Lamberte, sit vel Attica,

Peritiores disputent.

Nobis satis superque sit,

Cuias ea ipsa cumque sit,

Quod impotenti & indiga

Matri rependerit vices.

Nos Christianos interim

Typo sacrato commonens,

Ut gratias parentibus,

Pro tot piis laboribus,

Ne negligamus reddere:

Nam turpe sanè & impium,

Esset Deo simillimos,

A bestiis volucris

Virtute prima vincier.

RADIX VITIORVM.

SI Deus in nobis, Scriptura ut mystica dicit,

Veraque ut constat, certificaque fide:

Quur ipsum minimè sentimus? multa quòd eius

Est pudor, in nobis gratia semper iners.

Quur pigra in nobis est gratia? quòdputa nunquam

Hanc humili petimus sollicitaque prece.

Quare non petimus? quia non pro viribus, & non

Toto rite Deum pectore diligimus.

Quur non diligimus? quia non cognoscimus ipsum.

Quur ita? quòd notus sit sibi nemo satis.

Quid porrò causæ est, nos quòd non norimus ipsi?

Quòd nulli curæ sit sua vita sibi.

At nostræ haudquaquam quod vitæ intendimus, unde est?

Cæcatus mentis quòd nimis est oculus.

Qui mens cæca adeo est? fluxarum puluere rerum,

Totaque terreno contemnerata luto est.

Quæ ratio est? proprios affectus linquimus agrè,

Nolumus inque uno figere corda Deo.

Hinc lucis nunquam sese irradiatio profert,

Gratia & in nobis otia semper agit.

SEQUENTES VERSICULI PIAE

tantùm iuuentuti conscripti, similiter omnino vt.

cantiuncula illa Natalicia, cuius initium;

Dies est lætitiæ &c. haud incon-
cinnè decantari poterunt.

PRECATIO ANTE

CIBVM.

DEVS qui vtilia

Affatim largiris,

Et qui necessaria

Singulis partiris,

Da esurientibus,

Et da sitientibus

Quod satis nature.

Pane corpus refice,

Mentem verbo perfice,

Pastor creatura.

A CIBO SVMPTO GRATIARVM

ACTIO.

REFECTIS Visceribus

Pane corporali,

Et imbutis mentibus

Cibo spiritali:

Deo de terrestribus

Et donis cælestibus

Nunc benedicamus:

Dominoque largiter,

Et qui dat simpliciter,

Gratias agamus.

PRECATIO DOMINICA.

PATER in sublimibus

Qui regnas & viuis,

Nomen tuum omnibus

Celebretur viuis.

Regnum tuum veniat,

Voluntas tua fiat

Haud secus infernè

Ipsis in terrestribus,

Quàm fit in cælestibus

Mentibus supernè.

Panem nobis hodie

Da quotidianum,

Qui corpus quotidie

Et cor seruet sanum.

*Et remitte debita
In hac vitæ semita,
Ut nos relaxamus
Nostris debitoribus,
Utque peccatoribus
Cuncta condonamus.*

*Ne inducas fragiles
In tentationem,
Perferamus agiles
Tribulationem:*

*Nos à malo libera,
Educ ultra sidera,
Ubi sunt beati,
Qui cantant suaviter
Laudes & perenniter,
Summæ Trinitati.*

SALVTATIO ANGELICA.

*Ave plena gratia
Virgo veneranda,
Tecum agit Maria
Dominus miranda.*

*Benedicta cæteras
Mulieres superas;
Quia benedictum
Peperisti filium,
Ade qui & omnium
Solvit maledictum.*

IA-

IACOBVS SVSIVS CORNELIO
MVSIO SVO.

*QVI citharam Christo, pimpleaque pleetra sacraſti,
Et ſocias Bataua carmina pura lyra:
Ne ſocium pulchro me dedignare labori.*

*Patria, Mens, Nomen conueniuntque Modi
Haud ita: parce, animum ô ſi poſſim appendere! ſaltem
Muſius vt non ſim, Suſius alter ero.
Iunctaque ſic ſeris memorentur & inlita chartis,
Nomina nominibus, pectora pectoribus.*

Præclara hæc ſacra Poëmata non minus docta, quàm pia eximiè
profuerint pietati promouendæ, doctrinæque Catholicæ ſtabi-
liendæ, ſi in publicam edantur lectionem.

VWilhel. Damafi Lindaaus.

